

CURSUS
PHILOSOPHIÆ
ARISTOTELICO-
THOMISTICÆ
ABBREVIATUS,

Id est,

Tractatum Philosophicorum
omnium Summa,

Seu

COMPENDIUM,

Quod

In usum Philosophiæ Studioforum, Repetito-
rum &c. imo & ipsorum Professorum,

Aliorumque Philosophorum commodum e suis Prælectionibus
nuper fusius traditis

Collegit

R. P. ANSELMUS SCHNELL,

O. S. B. in Imper. Monast. Weingartensi Professor ac Professor
emeritus; nunc Prior ibidem.

PARS III.

Complectens Tractatus tres in Physicam Particularem,
& Tractatum in Metaphysicam.

*Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali, ac Facultate
Superiorum.*

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus Joannis Jacobi Mauracher, Bibliopolæ Augustani.

ANNO MDCCXLIV.

CURSUS

PHILOSOPHIAE

ARISTOTELIS

THOMISTICAE

ABBREVIATAE

et

TRACTATUM PHILOSOPHICORUM

OMNIUM SUMMAE

et

COMPENDIUM

Quod

In usum Philosophiae studiosorum, Recto-

rum etc. imo & ipsorum Professorum,

Alumnorum Philosophorum continuatur e suis Professoribus

super prius editis

et

R. P. ANSELMUS SCHNEBEL

O.S.B. in Imper. Monast. Wengertensi Professor ac Praeceptor

emendavit et hanc prior editionem

PARS III

Completens Tractatus tres in Physicam Particulariorem

& Tractatum in Metaphysicam

Cum Gratia & Privilegio Sacrae Caesaris Apostolicae Aulicis ac Tractatus

superiorum

AUGUSTA VINDOBONENSIS

Sumptibus Joannis Jacobi Manscher, Bibliopola Augustani

ANNO MDCCCXII



INDEX TITULORUM PRO PARTE III.

TRACT. I. DISPUTATIO I.

**De Mundo in communi,
& in particulari.**

QUÆSTIO I.

De Mundo in communi.

Numerus est Marginalis.

ART. I. An mundus sit unus? & in genere suo perfectus? *n. 1.*

2. Utrum mundus potuerit esse ab æterno? *n. 11.*

QUÆSTIO II.

De mundo coelesti.

Art. 1. An & quomodo cœlum sit corpus simplex? *n. 33.*

2. Num cœli sint fluidi, vel solidi? *n. 46.*

3. Per quid? & in quæ cœli influant? *n. 62.*

QUÆSTIO III.

De Mundo sublunari.

Art. 1. Quid, & quotuplex sit elementum? & quem situm occupet? *n. 79.*

2. Quomodo definiantur elementa singula? *n. 91.*

TRACT. II. DISPUTATIO I.

De generatione & corruptione.

R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

QUÆSTIO I.

De generatione substantiali.

Art. 1. An, & quid sit generatio & corruptio substantialis? *n. 97.*

2. Quomodo generatio distinguatur à corruptione, & ab alteratione? *n. 116.*

3. Quodnam sit subjectum generationis, & aliorum accidentium? *n. 138.*

4. Num in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam? *n. 151.*

QUÆSTIO II.

De alteratione, ejusque speciebus!

Art. 1. Quid & quotuplex sit alteratio? *n. 167.*

2. Quomodo fiat intensio? *n. 175.*

3. Quomodo fiat rarefactio? &c. *n. 195.*

QUÆSTIO III.

De mixtione & mixto.

Art. 1. Quid sit mixtio? Et an elementa formaliter maneant in mixto? *n. 216.*

2. An quodlibet elementum immediate converti possit in aliud? *n. 233.*

3. Num mixtum, semel corruptum, possit de novo idem numero reproduci? *n. 254.*

DISPUTATIO II.

In libros Meteororum.

QUÆSTIO I.^{ca}

De Meteoris in universali, & particulari.

Art. 1. Quid, & quot sint meteora ignea & lucida? *n. 267.*

A **2.** Quid

2. Quid, & quot aërea? n. 272.
3. Quid & quot aquea, ac terrea? n. 274

TRACT. III. DISPUTATIO I.

De anima in communi.

QUÆSTIO I.

De quidditate & divisione animæ.

- Art. 1. Quid & quotuplex sit anima in communi? n. 277.
2. An præter animam detur forma corporeitatis? aut formæ partiales? n. 292.
3. Utrum in eodem vivente detur successio animarum? n. 309.

QUÆSTIO II.

De proprietatibus animæ.

- Art. 1. Quanam partes viventis informantur ab anima? n. 319.
2. Num potentiæ animæ realiter distinguantur ab anima? & à quo specificentur? n. 338.

DISPUTATIO II.

De Anima in specie.

QUÆSTIO I.

De anima vegetativa.

- Art. 1. Quid sit anima vegetativa? & quas potentias habeat? n. 351.
2. Quid sit nutritio, augmentatio, & generatio? n. 360.

QUÆSTIO II.

De anima sensitiva.

- Art. 1. Quid sit anima sensitiva? & quot, quasque potentias habeat? n. 372.
2. An potentiæ sensitivæ indigeant speciebus intentionalibus? n. 381.

QUÆSTIO III.

De anima rationali.

- Art. 1. Quid sit anima rationalis? & quas potentias habeat? n. 400.

2. Utrum intellectus patiens producat speciem expressam, ab intellectu distinctam? n. 415.

3. An voluntas sit potentia ab intellectu realiter distincta? & magis perfecta? n. 425.
4. Num memoria intellectiva sit ab intellectu realiter distincta? n. 436.

TRACT. IV. DISPUTATIO I.

De natura & principiis entis.

QUÆSTIO I.

De præcisione, essentia, existentia, & subsistentia entis.

- Art. 1. An ens possit perfecte præscindi à suis inferioribus? n. 441.
2. Utrum essentia & existentia in creatis realiter distinguantur? aut saltem subsistentia ab existentia? n. 459.

QUÆSTIO II.

De essentia & possibilitate rerum.

- Art. 1. Utrum essentiæ rerum ab æterno sint quid actuale? n. 500.
2. An detur possibilitas rebus intrinseca? n. 513.


DISPUTATIO II. ET ULTIMA.

De proprietatibus entis.

QUÆSTIO I. ca

De unitate, veritate, & bonitate entis.

- Art. 1. Quot & quid sint proprietates entis? n. 528.
2. Unde desumatur unitas individualis seu numerica substantiæ? n. 543.
3. Et ult. Unde sumatur unitas individualis seu numerica accidentium? n. 561.





CURSUS
PHILOSOPHIÆ
 ARISTOTELICO-THOMISTICÆ
 ABBREVIATI
 PARS III.

COMPLECTENS

Tractatus tres in Physicam Particularem, & Tractatum unum in Metaphysicam.



Ultima Philosophiæ Pars est quidem *Metaphysica*. At quia *hujus* materia ad æquam partitionem nimium brevis est, hinc eidem præjungimus *Physicam Particularem*. Habet hæc nomen illud inde, quia agit de corpore naturali in particulari. Nam in quatuor libris de mundo & cælo tractat de corpore naturali ut *localiter* mobili. In duobus libris de ortu & interitu disputat de corpore naturali ut mobili motu *generationis* & corruptionis: quod etiam facit in quatuor libris meteorologicis. Demum in tribus libris de anima considerat corpus naturale vivens seu mobile motu *vitali*. Ut ordinate procedamus, singulis his materiis singulos Tractatus attribuimus. In horum primo libros de mundo & cælo compingemus in Disputationem unicam, breviter transcurrendo mundum tum in communi tum in particulari.

TRACTATUS I.

IN LIBROS DE MUNDO
 ET COELIS.

DISPUTATIO I.

DE MUNDO IN COMMUNI,
 ET IN PARTICULARI.

Cum omnes res corporeæ *localiter* moveantur, vel saltem taliter moveri queant, in propatulo est, argumentum quatuor præ-

sentium librorum esse totum Universum, quatenus corpora *localiter* mobilia complectitur. Nos, quæ de his dicenda videbuntur, tribus Quæstionibus absolvemus. In prima agemus de mundo in communi: in secunda de Mundo cœlesti seu de cœlis: in tertia de Mundo Elementari seu de Elementis. Sit itaque

QUÆSTIO I.

DE MUNDO IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

An mundus sit unus? Et in suo genere perfectus?

Prænotandum 1. Mundum, qui græce *cosmos* appellatur, habere nomen suum à munditie & ornatu, quo omnes ejus partes cohærent. Definitur ab Aristotele *l. de mund. ad Alex.* quod sit *compages* è cælo terraque *coagmentata*, atque ex iis naturis, quæ intra eam continentur: adeoque est *unum* per *aggregationem* tantum, sed tamen *ordinatam*; cujus *materia* sunt *res* omnes in hoc Universo extantes; *forma* autem est harum subordinatio, *ordo*, & *situs*. Porro mundus in universalissima sua acceptione dividitur 1. In *archetypum*, prout existit in mente seu idea Divina: & in *ectypum*, prout est productus ad extra. 2. Dividitur in *corporeum* seu Angelicum; de quo in *tr. de Angel. per tot.* & in *corporeum*, qui constat rebus corporeis: & à græcis *Macrocosmus* dicitur; homo autem *Microcosmus*.

Prænot. 2. Mundum hunc corporeum subdividi in *cœlestem*, qui corpora cœlestia comple-

complectitur: & in *sublunarem* seu elementarem, qui elementa & alia ex iis composita continet. Jam advertendum in præfenti agi de mundo, quatenus cœlestem & sublunarem involvit; quærique, an sit *unus* tantum? & si hoc: num sit *perfectus*, non quidem simpliciter & in omni genere (quia non habet *omnem* perfectionem possibilem) sed in *suo* genere & secundum quid, ita ut ei ad statum suum nihil desit? Quæstioni huic respondebit altera, priori autem hæc sequens

3 CONCLUSIO I. Defacto unicus tantum est Mundus: plures tamen sunt Deo possibles. Ita communis Philosophorum modernorum contra quosdam antiquos.

4 Prob. 1. pars: S. Scriptura *unius* præcise mundi mentionem facit, unicumque à Christo redemptum asserit *Fo. 1.* & passim alibi; nec apparet ullum vestigium alterius cujusdam: ergo alium adhuc esse mundum prudenter affirmari non potest.

5 Prob. 2. pars: Mundus *alius* non involvit implicantiam ex parte Dei *creantis*; utpote omnipotentis: nec ex parte mundi *creandi*; cum per hunc omnipotentia Dei minime exhauriatur: ergo plures sunt possibles.

6 CONCLUSIO II. Mundus in suo genere est perfectus. Iterum communis ex S. Script. *Gen. 1.* vidit Deus *cuncta* qua fecerat, & erant valde bona.

Probat: Ad perfectionem tria concurrunt, nempe *ordo partium, varietas & integritas*: atqui mundus habet *ordinem* partium (vixius inferiora superioribus, & majora minoribus subiecta sunt) habet *varietatem* in tot speciebus rerum: & *integritatem*; quia Deus & natura in necessariis non desunt: ergo est perfectus.

7 Obieciens 1. cont. 1. concl. part. 1. S. Scriptura ad substantivum *Mundus* sæpius addit particulam *hic*, dum dicit: *venientem in hunc mundum. Fo. 1.* Ego non sum de hoc mundo. *Fo. 8.* ergo vult, plures esse mundos (: *Ry. n. c. & c.* Nam in primo textu per *illam* particulam solum denotatur *specialis* pars hujus Universi: in altero autem, quod Christus non sit *mundanus* & terrenus conversatione:)

8 Ob. 2. cont. 2. part. Datur *unicus* tantum *primus* motor, neque plures sunt possibles: ergo etiam non nisi unicum primum *mobile* est possibile (: *n. c.* Quia *hoc* non exhaurit Dei potentiam; cum sit quid finitum duntaxat:) Deinde: *alius* mundus possibilis esset *Universum*; ut supponitur; & non esset, quia non foret collectio *omnium* rerum (: absolute *c.* in *sua* sphaera *n.* :) ergo implicat.

9 Ob. 3. cont. 2. concl. In mundo defacto sunt multa *imperfecta*, inutilia, & noxia (: in ordine ad *se t.* in ordine ad totum *Universum n.* Sic *umbræ* illustrant *picturam* :) ut mon-

stra, muscæ, serpentes &c. ergo non est perfectus.

Ob. 4. Si mundus esset perfectus, tunc sumptus cum Deo faceret quid *perfectius* (: extensive *c. intensiue* *n.* quoniam Deus omnem perfectionem hujus mundi eminenter continet:) atqui hoc dici non potest; quia aliàs Deus se solo non foret *omnis* excogitabilis perfectio; ergo.

ARTICULUS II.

Utrum mundus potuerit esse ab æterno?

PRÆNOT. 1. Mundum non exitisse ab æterno, certum esse ex fide & S. Scrip. *Gen. 1. Fo. 17.* &c. Nam opera ad *extra* sunt Deo libera; hujusque bonitas satis exercetur per communicationem ad *intra*. *Creatus* autem est probabiliter *verno* tempore (quia *hoc* est symbolum adolescentiæ, & offert fructus maturos saltem in regionibus orientalibus) & quidem 25. Martii: quia illa illo die fuit *re-creatus* per Incarnationem Verbi.

PRÆNOT. 2. Ordinem creationis hujus exhiberi à S. S. Scriptura *Gen. 1.* ubi aperte dicitur, quod creatio illa fuerit *successiva*. Nec obstat, quòd *Eccl. 18.* dicatur: *qui vivit in æternum, creavit omnia simul*: quippe creavit omnia simul non *simultate* temporis sed *aggregationis*. Annum designare spectat ad Scripturistas, juxta quos mundus in præfenti anno 1744. probabilis agit annum ætatis suæ 5693. prout refert P. Ruedorffer *Part. 4. c. 1. q. 1. a. 2. §. 4. n. 28.* Difficultas hic decidenda remanet, an mundus saltem *potuisset* esse ab æterno: idque, si non quoad entia *successiva*, saltem quoad *permanentia*? Loco resolutionis sit

CONCLUSIO I. Mundus non potuit esse ab æterno quoad entia permanentia. Ita *T. T. potiores ex S. D. 1. p. q. 10. a. 2. c. 3. cont. T. T. Renz, Carvin &c.*

Prob. 1. Creatura essentialiter debet transire de *non-esse* ad *esse* (cum *creatio* sit productio rei ex nihilo *sui*, & ex nihilo *subjecti*) ergo non potest esse ab æterno. *c. p.* Alias *æternum*, sc. esse creaturæ, præsupponeret aliquid prius, sc. *non esse*: & quidem non *natura* & potentiâ tantum, sed *realiter* & *actualiter*; eoquod creatio sit *realis* & *actualis transitus* ex parte creaturæ de *non esse* ad *esse*: secus forma & privatio essent simul; quod implicat.

Respondent aa. Ad creationem *æternam* sufficere, quod sit productio ex *nihilo subjecti*: non autem requiri, quod sit ex *nihilo sui*, reali & *actuali* saltem.

Contra est: Non potest dari *annihilatio* creaturæ nisi *realiter* præcesserit *esse creaturæ*: ergo etiam non potest dari *creatio*, nisi præcesserit *realiter non esse* creaturæ; cum oppositorum opposita sit ratio. Imo productio Filii in Divinis esset

esset creatio; quia etiam fit *ex nihilo subjecti*.
Quin negatur suppositum, quod detur creatio
æterna: ergo.

16 Prob. 2. Quod est *solius Dei* proprium,
absolute non potest communicari creaturæ;
velut patet in aeternitate & infinitate: atqui æter-
nitas ante & simpliciter talis est solius Dei pro-
pria; ergo. m. p. 1. Quod essentialiter conse-
quitur ad aliquid solius Dei proprium, illud ip-
sum est etiam solius Dei proprium; sic quia
omnipotentia consequitur ad immensitatem & in-
finitatem (quæ sunt perfectiones soli Deo pro-
pria) ideo omnipotentia est etiam solius Dei
propria: atqui æternitas ita consequitur, nempe
ad immutabilitatem, ut habet S. D. 1. p. q. 10.
a. 3. dicendum, quod æternitas vere & proprie in
solo Deo est; quia æternitas immutabilitatem conse-
quitur: solus autem Deus omnino immutabilis est;
omnis creatura autem aliquo modo mutabilis est;
ergo.

17 Confirmatur: Æternitas à parte ante est
essentiale constitutum solius Dei: ergo non
potest communicari creaturæ; secus enim esset,
& non esset essentialiter constitutum. a. p. Esse
à se & operari per se seu per propriam entitatem
est solius Dei proprium constitutum; quia est
distinctivum, ex tr. de Deo à n. 147. ergo &
esse seu durare ab æterno: quia duratio sequitur
ad esse & ab existentia non distinguitur. In-
super: modus operandi Dei, nempe per creatio-
nem, non potest communicari creaturæ, etiam
tantum participative: ergo nec modus durandi
ab æterno. a. p. Quia nulla creatura potest as-
sumi ad creandum etiam præcise instrumentali-
ter, ex S. D. 1. p. q. 45. a. 5. in c. & ex dictis
in Phys. Univ. n. 427.

18 Prob. 3. Creatura æterna esset *independens*
à Deo in suo esse & conservari: ergo. a. p.
Quia necessario deberet durare per totam æter-
nitate ante; quin à Deo pro suo libitu destrui
posset; ergo. a. p. Ante quodcumque assignabi-
le instans præcessisset tota æternitas; ergo. Hæc-
que necessitas (ut intercipiam responsum
aa.) esset plus quam consequens; quia Deus
absolute non potuisset destruere talem creaturam;
uti tamen defacto posset destruere animas. Rur-
sum: licet creatura ob participationem infinitatis
adhuc dependeret à Deo, attamen non potest
esse infinita: ergo pariter non potest esse æterna
à parte ante, licet ob sui non esse possibile adhuc
dependeret à Deo. Denique: Deus non potest
à parte post quid creare, quin aliquid æternitatis
sequatur; ergo nec à parte ante, quin aliquid æter-
nitatis præcesserit.

19 Prob. 4. Non datur creatura perfectissima,
ex Phys. Univers. à n. 531. ergo nec possibilis
ab æterno. c. p. Non posset creari perfectior
quoad durationem: ergo quoad hanc esset perfe-
ctissima; & quidem non tantum extrinsece (ut
volunt aa.) sed intrinsece: quia duratio est præ-
R. P. A. Schnell, Philos. P. III.

dicatum intrinsecum; cum non distinguatur ab
existentia. Deinde: saltem daretur creatura
perfectissima quoad quid extrinsecum; sicque
potentia Dei esset exhausta saltem extrinsece:
imo etiam intrinsece; sicut ablato omni objecto
visibili extrinseco, auferretur potentia visiva in-
trinsece. Accedit: non datur infinitum creatum:
ergo nec dabilis est creatura ab æterno. c. p. Ho-
mo ab æterno existens eliciisset infinitas intelle-
ctiones & pulsus cordis, singulis sc. instantibus.
Imo talis esset homo, ut supponitur; Et non es-
set: quia non posset discurre (eoquod hoc sit
quid successivum) etiam tantum exigitive & ra-
dicaliter; quia ad impossibile, quale est discursus
pro æterno, non datur exigentia & privatio ra-
dicalis. Quin talis homo non audiret, non
videret, non respiraret &c. quantum ergo mon-
strum?

CONCLUSIO II. Multo minus mun- 20
dus potuit esse ab æterno quoad entia successiva.
Est communis: & breviter

Probatur: Ens successivum non potest esse
ab æterno secundum prius; quia hoc tantum uno
instanti antecederet posterius temporaneum: nec
secundum posterius; quia hoc haberet aliud ante
se, nimirum illud prius: ergo ens successivum
non potest esse ab æterno. Præcipue: quia in
æternitate (quæ est indivisibilis, ex tr. de Deo à
n. 232.) non datur prius & posterius, quæ tamen
constituunt ens successivum; ergo. Imo in hæc
sententia quoque darentur infiniti anni, aut An-
geli v. g. si singulis unicus solummodo fuisset
creatus &c. ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. S. Thomas 1. p. 21
q. 46. a. 2. expresse docet, mundum potuisse esse
ab æterno (: R. d. a. æternitate categorematica n.
syncategorematica, id est, potuisset semper ad-
huc prius & prius creari, c. :) Imo Aristoteles
docuit (: demonstrative n. suppositive c. Nam
sicut nos, dum supponimus, hominem esse ani-
mal rationale non disceptamus, an potuerit talis
esse; sic Aristoteles, dum defectu fidei suppo-
suit, mundum fuisse ab æterno, non inquisivit,
an potuerit esse ab æterno? :) mundum actu
fuisse ab æterno: ergo.

Ob. 2. In Divinis Filius & Spiritus S. 22
fuerunt producti ab æterno: ergo etiam mundus
potuit produci ab æterno (: n. c. Quia Filius &
S. Spiritus non sunt creatura; qualis tamen est
mundus, essentialiter requirens transitum à non
esse ad esse :) Præsertim: quia fuit possibile ab æter-
no (: & pro æterno n. pro tempore c. :)

Urgebis: Potentia Dei est æterna; ergo debet 23
habere effectum æternum (: categorematice n. æter-
num syncategorematice c. alias etiam deberet habere
infinitum, cum potentia Dei etiam infinita sit :) se-
cus non excedet potentiam temporalem (: n. hoc;
quia hæc non potest producere effectum æternum
etiam tantum syncategorematice. Deinde ex simi-
libus argumentis sequitur, quod Deus mundum

actu produxerit ab æterno; quoniam Deus actu ab æterno fuit:)

24 Ob. 3. Potuit Deus in qualibet parte virtuali æternitatis *priori & priori* creare mundum: ergo etiam *ab æterno* (: Retorqueo: Deus potest semper perfectiorem & perfectiorem creaturam creare, ergo etiam *perfectissimam*;) c. p. Actio Dei non est alligata certæ temporis differentiæ (: *determinata c. indeterminata* subd. ratione *sui c. ratione creaturæ*, quæ essentialiter exigit aliquando non fuisse, n. Quippe sicut Deus non potest creare à *parte post* creaturam, quin aliquid æternitatis adhuc *sequatur*; ita pariter non potest creare creaturam à *parte ante* seu in tali *priori*, quin nihil æternitatis *præcesserit* :)

25 Ob. 4. Si Deus esset agens *necessarium*, produxisset mundum ab æterno; ergo ut agens *liberum* id saltem *potuit*. a. p. Causa necessaria producit suos effectus (: *possibiles c. impossibiles*, qualis esset mundus ab æterno, n. :) necessario; ergo.

26 Ob. 5. urg. Id omne potest Deus, quod potest sol (: in hypothese *possibili c. in hypothese impossibili n.* :) atqui sol ab æterno *existens* produceret effectum, sc. lumen, *æternum* (: Retorqueo: atqui asinus *rationalis* existens produceret asinum rationalem, ergo etiam Deus potest talem producere :) ergo id etiam potest Deus.

27 Instabis: Si sol foret æternus, produceret lumen æternum (: *possibile absolute n. ex suppositione tantum impossibili c.* :) ergo defectus non est ex parte solis, sed ex parte *æternitatis* (: *increatæ n. creatæ c.* hæc enim præsupponit *non esse* :) quem defectum Deus non habet (: *ratione sui c. ratione creaturæ n.* :)

28 Dices: Effectus potest simul *realiter* esse cum *causa* (: *creatæ c. increatæ n.* quia sic non transiret à *non esse* :) ergo. a. p. Sic sol & radius sunt simul: ergo.

29 Ob. 6. Deus potest producere creaturam æternam à *parte post*: ergo etiam æternam à *parte ante* (: n. c. Quia sic non transiret à *non esse* ad esse, essentialiter requisito ad conceptum creaturæ; à quo tamen transit, si producatur in *tempore*, duratura in æternum;) c. p. Utraque æternitas est *participatio* æternitatis Divinæ: ergo.

30 Ob. 7. Ab æterno datur tempus *imaginarium*: ergo etiam reale. c. p. Tandiu potest esse forma, quamdiu fuit ejus *privatio* (: si forma sit *possibilis c. si sit impossibilis*, uti est *tempus æternum n.* :) atqui tempus *imaginarium* est *privatio* temporis realis (: n. hoc; sed est potius ejus *negatio*; cum tempus ab æterno sit impossibile;) ergo.

31 Quæres: An mundus, ut nunc est, posset durare in æternum cum solo concursu *ordinario*? n. Quod sic: quia cum solo concursu *ordinario*

in æternum posset durare motus *primi mobilis* (eoquod *hoc* sit incorruptibile, & Angeli indefatigabiles) ergo etiam durarent *alii* motus; & mediantibus illis totus mundus. Accedit, quod à tempore Davidis ætas hominis non defecerit; cum etiam hodieum septuagenarios octo- & nonagenarios numeremus, ut olim numerati sunt tempore Davidis attestantis: *annorum nostrorum septuaginta anni; si autem in potentatibus* (id est, in robustioribus) *octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor*. Pf. 89. Vid. P. Renz hic q. 3. a. 1. 2. 3.

QUÆSTIO II. DE MUNDO COELESTI.

ARTICULUS I.

An & quomodo cœlum sit corpus simplex vel compositum?

Pænotandum: Hoc loco corpus simplex accipi pro eo, quod opponitur mixto, seu composito ex quatuor elementis, saltem virtualiter manentibus. In quo sensu sit sequens

CONCLUSIO: Etsi cœlum sit compositum ex materia & forma: non tamen est corpus mixtum ex elementis, etiam virtualiter manentibus; sed est corpus simplex; & quidem diversæ naturæ à quatuor elementis. Ita communior ex S. D. hic lect. 4.

Prob. 1. pars: Cœlum est corpus naturale; cum sit species contenta sub *objecto* Physicæ: ergo componitur ex materia & forma. Maxime: quia in eo inveniuntur *accidentia materialia*, quantitas, densitas, raritas &c. quæ non recipiuntur nisi in *subjecto materiali*; ergo.

Prob. 2. pars: Cœlo per se primo convenit aliquis motus simplex, sc. *circularis*; eoquod hic ceu perfectissimus debeatur corpori *perfectissimo*: ergo est corpus simplex, sicut elementa; ab his tamen omnino *diversum*, eoipso quod *diversum* motum habeat.

Objicies 1. cont. 1. part. Aristoteles 8. met. tex. 14. docet, *materiam in iis solum esse, in quibus est generatio & corruptio*: ergo vult in cœlo non esse *materiam* (: R. d. c. passivam & *privativam c. pure receptivam n.* :) cum sit incorruptibile.

Ob. 2. Cœlum est maxime *activum* (: tanquam causa *corporea* tamen c. tanquam *incorporea n.* :) ergo non includit potentialitatem materiæ. Secus non foret *elementis* simplicius (: quoad compositionem *materiæ & formæ c.* quoad carentiam *qualitatum* activarum & passivarum, per quas elementa in se invicem agunt, n. :) ergo.

Ob. 3. Defacto datur in linea *spirituali* duplex forma substantialis, una *completa*, cujusmodi

18 modi sunt Angeli; & altera quasi *incompleta*, cujusmodi est anima rationalis: ergo quoque in linea *corporea* dabitur duplex, una *incompleta*, qualis est qualibet forma rerum corruptibilium; altera *completa* ac per se subsistens, qualis est *cœlum* (n. c. & c. Quia talis non amplius foret in linea corporea, sed spiritualis, eo ipso quod non dependeret à materia; nam quo magis quid recedit à materialitate, eo magis spiritualizatur:)

40 Ob. 4. cont. 2. part. Etiam lapis motu *simplici* movetur (: per se *primo* n. ratione elementi prædominantis seu *gravitatis* c. :) & tamen non est corpus simplex: ergo nec cœlum. Econtra cœlum *empyreum* est corpus simplex (: *supremum* tamen, consequenter æque perfectum c. secus n. :) & tamen non movetur: ergo ex simplicitate motus non bene probatur simplicitas corporis (: si corpus illud sit præcise principium *quietis*, uti est cœlum *empyreum* c. si *simul* sit principium *motus* n. :) Imo cœli sunt fluidi, ex n. 46. ergo non moventur (: n. c. Moventur enim velut fluvius: vel saltem scinduntur & protruduntur per motum *astro-*rum:)

41 Ob. 5. Cœli habent *easdem* proprietates & accidentia cum elementis (: communia & *generica* c. particularia & *specificata* n. :) vid. lucem, perspicuitatem, quantitatem &c. Imo in cœlo sunt *primo* quatuor qualitates (: formaliter n. *eminenter* c. :) alias non esset primum alterans (: *univocum* c. æquivocum n. :) ergo est ejusdem naturæ.

42 Deduces 1. Materiam *cœlorum* esse omnino diversam à materia *sublunari*: quia alioquin essent ab intrinseco corruptibiles; siquidem in se haberent principium *intrinsecum* corruptionis, quale est materia à sublunari haud diversa. Sunt autem diversæ in ratione *potentie specificæ* (nam ratione *genericæ* conveniunt saltem analogice) quia una ex sua essentia exigit *aliud* modum informandi, & *aliud* actum in *obliquo* importat quam altera.

43 Deduces 2. Formam *cœlorum* non esse *animam* (quia in cœlis non dantur operationes *vitales*; cum non sit corpus *organicum*) sed formam *non-viventem*: quæ etsi sit principium *passivum* motus, active tamen cœli moventur ab intelligentiis seu Angelis; nam motus tam varius & uniformis nemini alteri potest adscribi; præsertim quoniam Deus creaturas inferiores regit per superiores.

44 Deduces 3. Cœlos esse ab intrinseco *in-*corruptibiles: quia carent principio *remoto* (sc. materia sublunari) & *proximo* corruptionis, vid. quatuor primis *qualitatibus*; eoquod sint corpus *simplex*. Divisibilitas sola non arguit corruptionem; secus aër in cœlo *empyreo*, aut sanguis in corporibus glorificatis, forent corruptibiles. Phænomena haud incommode ex-

plicari possunt per condensationem à tam vario siderum motu, & varia lucis incidentia pro subjecti capacitate, sine nova generatione aut corruptione. Vid. P. Renz d. 2. q. 1. a. 4. &c.

ARTICULUS II.

Utrum cœli sint fluidi vel solidi?

CONCLUSIO: Etsi cœlum *empyreum*, sal- 46 tem quoad pavementum supremumque lacunar, sit solidum: nihilominus reliqui cœli omnes sunt fluidi. Est contra P. Renz, aliosque TT. quoad 2. partem.

Prob. 1. pars: Cœlum *empyreum* in 47 S. Scriptura *Apoc. 21.* dicitur *aurum* mundum, simile *vitro* &c. Item *civitas* in quadro posita, & *muri* ejus ex auro mundo, & *platea* ejus ex auro purissimo, & *porta* ex lapidibus pretiosissimis &c. ergo est solidum saltem quoad præactas partes.

Prob. 2. pars: Sol modo nobis est pro- 48 pinquior, modo remotior: item Mercurius & Venus modo sunt supra, modo infra solem: denique etiam supra lunam dantur cometæ: atqui hæc in cœlis *solidis* sine *penetratione*, aut etiam *vacuo* satis amplo, imo sine *infectione* circularum, *quæ* stellæ impedirentur, nulla ratione explicari queunt; ergo cœli omnes, saltem planetarii, sunt fluidi; imo etiam *firmamentum*, 49 quia pro hoc non est specialis ratio, per quam non sit liquidum. Præcipue: quia in illo saltem Hyparchis stella non observat semper eandem cum aliis distantiam. Quin Tycho & alii recentiores Astrologi etiam aliqua in illo phænomena observârunt: ergo.

Objicies 1. Textus S. Scripturæ: Verbo 50 Domini cœli *firmati* sunt (: *q. d.* firmitate *solididatis* n. *constantia* c. :) *Pf. 32.* Item: Cœli (: *empyrei* c. alii n. :) *sunt quasi crepusculi. Job. 37.* Rursum Christus *penetravit* cœlos, ad *Hebr. 4.* &c. ergo sunt solidi (: n. c. Secus aër, quem sagitta *penetrat*, etiam esset solidus:)

Ob. 2. Sine soliditate cœlorum motus a- 51 strorum non posset esse adeo *regularis* (: si moverentur à *propria* forma tantum c. si ab *intelligentiis* n. :) imo qualibet stella deberet habere distinctum Angelum motorem (: quid 52 tum? si enim *qualibet* species habet suum, quælibet provincia proprium &c. quidni etiam quælibet stella suum habeat? cum *stella* ipsâ terrâ majores sint: & quidem *solidissima*; sicque per motum aëra & cœli non contunduntur, sicut pisces natando per aquam cum illa non miscentur:)

Ob. 3. Si cœlum esset fluidum, tunc stel- 53 læ cœlum scindentes ederent *sonum* (: n. hoc; quia ob suam tenuitatem facillime scinditur; quemadmodum aqua à piscibus sine sono dividitur:) Præterea: per hanc scissionem cœlo inter-

54 inferrent continuam *violentiam* (: n. hoc; habet enim maximam facilitatem, ut *condensetur* & rarefiat per motum stellarum, & ideo non patitur violentiam; sicuti nec aqua patitur per natationem piscium :) quemadmodum aëri infertur, dum scinditur à virga: atqui hoc est absurdum; ergo.

55 Ob. 4. Si astra per cœlos fluidos moverentur ut pisces per aquam, tunc *Angeli* deberent cum illis *circumvolvi* (: t. siquidem Angelus in uno loco consistens, stellæ talem *impulsus* imprimere possit, quo ad eundem locum revolvatur :) atqui hoc videtur plane indignum

56 eorum statu & felicitate (: n. hoc; nam illos non impedit, quo minus *omni illa* beatitudine fruantur, quam haberent, si essent constituti in cœlo empyreo. Nec timendum, nec ex continua *motione* fatigentur: quia hæc nullo labore ipsis constat; cum sit *actus imperii* ab intellectus proveniens, formaliter immanens & virtualiter transiens: nec aliqua indignitas est facere, ad quod creati sunt :) ergo. M. p. Non possunt movere nisi corpora sibi *conjuncta*; ergo.

57 Ob. 5. Ex hac sententia sequitur, *stellas in cœlo esse pendulas* (: nisi essent in loco proprio & naturali c. secus n. Sic *ignis* supra aërem non dicitur pendulus, quia est in proprio loco :) atqui hoc non videtur admittendum; ergo.

58 Ob. 6. Saltem *firmamentum* est solidum; ergo. a. p. In firmamento sunt stellæ *fixæ*: atqui *affixio* (: sumpta pro acclavatione c. sumpta pro eadem inter se *distancia*, prout hic sumitur, n. :) non fit nisi in *solido*; ergo.

59 *Instites*: Conveniens erat, ut sicut aqua continetur ripis, ita aër & ignis contineantur cœlis solidis (: *mediate* c. debent contineri immediate n. Sufficit enim, quod *pavimentum* empyrei solidum sit; quod sicut *cœlos*, ita etiam *his* mediantibus reliqua elementa coërcet. Imo etiam *liquida* possunt aliquid *claudere* & terminare: sic aqua & ignis claudunt elementum aëris :) ergo.

60 *Quæres* 1. Quot sint cœli? R. Tres tantum: nempe *aëreum* (quod est *infimum*, includens aërem, & quidquid inter concavum lunæ, & superficiem terræ interjacet) *sidereum* (quod est *medium*, continens sidera: quod, cum sit fluidum, est *unicum*, licet per rationem possit dividi in plures, velut quoque aërem in plures regiones dividimus) & *empyreum*, quod est *supremum* & sedes beatorum. Porro in cœlo sidereo præter motum *communem* omnium siderum datur etiam motus *proprius*, dum sol v. g. propius ad nos accedit vel recedit, velut patet experientia. Estque *rotundum*; quia hæc figura (utpote perfectissima) debetur corpori cœlesti *perfectissimo*.

Quæres 2. Num in cœlis reperiantur *quatuor primæ* qualitates? R. Negative: quia sunt proprietates *elementorum* tantum, & mixtorum, à quibus cœli sunt diversi, ex n. 42. Similiter in cœlis non datur *gravitas* vel *levitas* (quia harum finis, sc. motus sursum vel deorsum, cessat) nec veri *colores* (quia *hi* oriuntur ex permixtione *primarum* qualitatum) nec sonus; quia motui astrorum nil resistit, nec aër adest. Interim tamen ibidem reperitur *raritas* & *densitas* (quia partium aliquæ sunt magis, aliæ minus *crassæ*) item *perspicuitas* & *opacitas*: quia aliquæ sunt luci *perviæ*, aliæ autem *imperviæ*; ergo.

ARTICULUS III.

Per quid? & in quæ cœli influant?

CONCLUSIO I. Cœli influunt in hæc *inferiora* non tantum per *lucem*: & motum localem: sed etiam per *qualitates occultas*. *Est communis TT.*

Prob. 1. pars experientiæ: quia, impedita *solis luce* per eclypsin solarem, oritur *insalubritas aëris* &c. agroti de die melius se habent, quam de nocte &c. ergo signum est, quod lumen solis benignos influxus habeat.

Prob. 2. pars: Si corpora cœlestia non *moventur localiter*, non possent ita commode suam *lucem* & virtutem in omnes mundi partes distribuere: Imo deesset debita qualitatum temperies; quia sol suis radiis aliquas partes nimium calefaceret, & alias nimis frigiditas relinqueret: ergo *motus localis* faltem *indirecte* & per modum *conditionis* sine qua non influit.

Prob. 3. pars: Multi effectus in *sublunariis* producuntur, qui nec *luci*, nec *calori*, nec *motui* astrorum adscribi queunt: ut si planetæ in intimis terræ *visceribus* producunt metalla, ad quæ nec *lux*, nec *motus*, nec *calor* à luce productus pertingere possunt; cum loca illa sint ordinarie frigidissima: ergo producuntur per *qualitates occultas*.

CONCLUSIO II. Cœlum in animam *rationalem*, ejusque potentias, *directe* non influit: bene tamen *indirecte* & per accidens. *Est iterum communis.*

Probatur: *Anima* hominis, & ejus potentia, sunt quid *immateriale* & *spirituale*: ergo cœlum *corporeum* in illas *directe* non influit: bene tamen *indirecte*; quia plurimum potest in specierum *coordinationem* & *ministerium sensuum* (utpote quid *corporeum*) à quo pro hoc statu anima ejusque potentia dependent: ergo.

CONCLUSIO III. Cœlum nequit *principaliter* producere aliquod *vivens*; sed omnia animalcula proveniunt ex *certo semine*, hinc inde *sparsis*

sparsio, atque in materiam dispositam incidente. Ita communior.

Probatur: Coelum non vivit; adeoque est in gradu essendi inferiori: ergo non potest esse causa vivencium.

68 Objicies 1. cont. 1. concl. part. 1. Si sol per lucem influit inducendo calorem, etiam in hyeme hunc deberet inducere (: *Hy. d. M. si esset in eadem altitudine, in qua est in aestate, ubi radii reflectuntur, c. secus n. :*) atqui hoc est contra experientiam; ergo. M. p. Etiam tunc lucet, sicut in aestate; ergo.

69 Ob. 2. cont. 3. part. Si coeli influunt per qualitates occultas, vel possunt sciri? vel non? neutrum potest dici; ergo. m. p. Non possunt sciri (: à priori c. à posteriori & ex effectu n. :) aliàs non essent occultae (: quoad effectum c. quoad se n. :) Neque etiam possunt non sciri; quia aliàs temere à nobis adstruerentur: ergo.

70 Instas: Scire est rem cognoscere per causam (: vel in essendo vel in cognoscendo c. per causam semper in essendo n. aliàs non sciremus dari Deum :) ergo si Physicus scit esse occultas influentias, debet illas assignare per causam (: in cognoscendo c. in essendo n. :)

71 Ob. . . Coelum est agens sensibile: ergo debet agere per qualitates sensibiles (: in se & formaliter n. sensibiles causaliter & in suo effectu c. :) quales tamen non sunt qualitates occultae.

72 Urges: Si coeli agerent per qualitates & influentias occultas, tunc aliquæ earum essent nobiliores luce; cum nobiliores effectus producant: atqui hoc dici non potest; ergo. m. p. Lux est nobilissima inter qualitates (: manifestas c. occultas n. :) ergo.

73 Ob. 4. cont. 3. concl. Non omnia animalia generantur ex semine (: perfecto c. imperfecto n. :) quia aliqua generantur ex putri materia (: solâ n. unâ cum semine in illam incidente c. :) & quidem alterius speciei (: ex imbecillitate seminis c. secus n. sic ex semine papilionis, herbæ adhærente, generatur eruca :) ergo.

74 Quæres 1. Utrum astra specie distinguantur inter se, & à coelis? *Hy. Affirmative: quia habent diversas proprietates, accidentia & operationes; ergo. Numerum quod attinet, stellæ errantes (quæ & planetæ dicuntur) sunt septem, nempe Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, ut habet tritus ille versus: post SIM SUM errantes ultima luna venit. Stellæ fixæ vero, quæ sunt in firmamento eandemque semper distantiam servant, licet sint innumeræ, Astronomi tamen 1022. quas serena nocte videre possunt, numerant, easque in 48. constellationes dividunt; inter quas primum locum obtinent duodecim signa zodiaci*

R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

his versibus comprehensa: *Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo: Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces. Luna, Mercurius, & Venus, sunt minores terra; Mars autem est ei æqualis: è reliquis stellis minima superat terram 18. vicibus.*

Quæres 2. An astra omnia propriam lucem habeant? *Hy. Affirmative quoad stellæ fixas: quia hæ à sole sunt nimis remotæ, maxime quando in opposito hemisphærio existit: planetæ quinque partim luce propria (quia est perpetua) partim à sole mutuata refulgent, cum modo minus, modo magis illuminati sint. Luna probabiliter nullam propriam lucem habet: quia alias etiam in novilunio videretur. Cæterum quod stellæ de die non videantur, provenit à nimio fulgore solis &c. &c. sic per sonum vehementiorem obtunduntur aures, ut sonum minorem non percipiant.*

Quæres 3. Quid sit eclipsis? *Hy. Est obscurationio luminarium propter interpositionem aliqujus corporis opaci. Est duplex: una solaris, quæ est apparens luminis defectus, diametrali interpositione lune inter aspectum nostrum & solare corpus proveniens: altera lunaris, quæ est verus luminis defectus in luna, ortus ex diametrali interpositione terra inter solem & lunam, Sol eclipsatur in novilunio: luna autem in plenilunio; quia tunc tantum datur dicta interpositio. Fit porro plenilunium tunc, quando luna perfecte opponitur soli: novilunium verò, quando conjungitur & appropinquat soli. Maculæ utriusque nil aliud sunt, quam partes rariores, quæ, cum ob diaphaneitatem suam minus lucis imbibant, nigriores apparent & velunt umbræ seu maculæ. Vid. P. Renz d. 2. q. 3. a. 8. &c.*

QUÆSTIO III.

DE MUNDO SUBLUNARI SEU ELEMENTARI.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit elementum? & quem situm in Universo occupet?

Prænotandum: Elementum hic sumi pro corpore simplici, ex quo inferior Universi pars constituitur. Taliter sumptum definit

CONCLUSIO I. Elementum est corpus simplex per se primo recta latatione mobile. *Prænotandum.*

Explicatur: Dicitur 1. corpus; quia constat materiâ & formâ physicâ. 2. simplex; quia non componitur ex alio corpore, sicut mixta. 3. Recta latatione mobile; nempe sursum vel deorsum: per quod differt à corporibus cœlestibus

C

(quæ

(quæ moventur circulariter) & à mixtis, quæ non per se primo moventur sursum vel deorsum sed ratione elementi prædominantis: ergo.

81 CONCLUSIO II. Elementa sunt quatuor vid. terra, aqua, aër, & ignis. Ita omnes Peripatetici ex Arist. l. 3. de el. c. 5. cont. Carthesium.

Probatur: Quia quatuor tantum dantur diversi motus simplices & recti, sc. sursum simpliciter (qui convenit igni) & secundum quid; qui convenit aeri: deinde deorsum simpliciter (qui convenit terra) & deorsum secundum quid, qui convenit aqua: ergo.

82 CONCLUSIO III. Elementa hoc ordine situm suum in Universo obtinent; locum supremum sub concavo lunæ teget ignis; proximum igni tenet aër; tertium aqua; ultimum & infimum terra. Ita communis.

Probatur: Ignis est elementum levissimum; ergo habet locum supremum, sicut econtra terra habet infimum, aqua autem & aër medium.

83 Objicies 1. cont. 1. concl. Omnia elementa possunt in alia corpora resolvi (: n. d. a. per nudam separationem n. per novam generationem c. :) ergo non sunt corpus simplex a. p. Aër resolvitur in aquam &c. ergo.

84 Ob. 2. cont. 3. concl. Nullus ignis sub concavo lunæ noctu videtur: ergo nullus ibi datur (: n. c. Quia est valde rarus, instar aëris :) c. p. Ibi non habet pabulum (: hoc non indiget, quia est in loco naturali :) nec usum aut utilitatem (: n. hoc; concurrunt enim ad integrandum mundum elementarem: ergo.

85 Ob. 3. Plumbum est gravius terrâ (: mixtâ & qualis apud nos invenitur, c. purâ, & qualis datur prope centrum terræ, n. :) & tamen non habet locum infimum: ergo nec terra. Præcipue: quia integræ insulæ mari supernant (: ratione sui n. ratione aëris, intra cavernas inclusi, c. :) ergo.

86 Ob. 4. Si aqua esset terrâ superior, tunc illam obrueret (: nisi prohiberetur à speciali providentia Dei c. secus n. :) alioquin foret in statu violenti (: n. hoc; nam particulari inclinationi tendenti supra terram, prævalet generalis inclinatio ad conservationem totius, indita ab authore naturæ. Sic non patitur violentiam dum ex mari ascendit in altissimos montes :) ergo.

87 Quæres 1. A quo elementa in locum suum moveantur? n. Deorsum moventur non à virtute aliqua tractiva & magnetica, (secus lapis grandis difficiliter caderet deorsum quam parvus) ergo à gravitate ipsis intrinseca. Sursum verò moventur non per solam extrusionem (aliàs parum ignis velocius moveretur sursum, quam multus ignis) ergo à nativa levitate saltem immediate; nam forma substantialis non

est immediate operativa. Cæterum terram esse gravem simpliciter, & aquam secundum quid: econtra ignem esse levem simpliciter, & aërem secundum quid, potest colligi ex eorum situ.

Quæres 2. Utrum elementa in locis propriis gravitent aut levitent? n. Negative: quia quando sunt in locis propriis, cessat finis gravitationis & levitationis; hinc qui sub aquis natat, nil ponderis sentit. Quod defossus in terra hujus pondus sentiat, est ideo, quia est levior terrâ. De reliquo elementa omnia sunt figuræ rotundæ: nam terra rotundam umbram in lunam projicit: aqua projecta in pulverem seipsam in globulos contrahit: & alias terram rotundam ambit: aër, & ignis intra terram & cælum sphericum continentur &c. ergo.

ARTICULUS II.

Quomodo definiantur elementa singula?

CONCLUSIO I. Ignis est corpus simplex, à centro sursum simpliciter mobile. Ita omnes.

Explicatio definitionis constat ex dictis. Alius est purus seu elementaris, immediate sub luna collocatus: alius terrestris, apud nos in statu violento existens; ideoque pabulo indigens.

CONCLUSIO II. Aër est corpus simplex, motu recto mobile à centro sursum secundum quid. Iterum omnes.

Explicatio iterum prostat in supra dictis. Dividitur in tres regiones, sc. in infimam (in qua nos degimus; extenditurque ad verticem minorum montium; quousque nempe radii solares à terra reflexi, pertingunt) mediam (quæ incipit ibi, ubi prædicta reflexio desinit; ideoque frigidissima existit, & nubes, pluvias, grandines, excoquit &c. non extenditur ultra summos montes, ut patet in olympo) ac supremam: quæ ibi incipit, ubi nubes & venti desinunt, & extenditur usque ad concavum ignis &c.

CONCLUSIO III. Aqua est corpus simplex, mobile motu recto deorsum secundum quid. Rursum omnes.

Explicatio rursus patet ex dictis. Alia est pluvialis, alia terrestris, alia marina &c.

CONCLUSIO IV. Terra est corpus simplex, mobile motu recto deorsum simpliciter. Denno omnes.

Explicatio denuo colligitur ex ante dictis. Dividitur in quatuor partes principales, vid. Europam, Africam, Asiam, & Americam. Hæc rursus in varia regna & provincias, uti ad oculum exhibent tabulæ geographicæ. De qualitatibus Elementorum singulorum commodius agemus infra a. n. 216. ubi generationem mixti examinabimus. Sed pro coronide,

95 Quæres 1. Quem ordinem igitur tam cœli quam elementa teneant? seu, quanam sit constitutio & systema Universi? R. Nobis præplacere Tychonicum, quod describit P. Renz hic a. 5. & passim a Geographis exhibetur. A quo tamen circulos illos *solidos* excludimus, qui cœlos fluidos asseruimus, supra n. 46. Systema Copernicanum est contra communem omnium sensum; imo & contra S. Scripturam, quæ solem circa terram moveri asserit *Eccles. 1.* Ptolomaicum supponit cœlos solidos: quin illos nimium multiplicat, dum undecim numerat. Accedit, quod Venerem & Mercurium perpetuo sole inferiores exhibeat, quod tamen falsum esse, omnes moderni Astronomi clamant.



TRACTATUS II.

IN LIBROS DE ORTU ET INTERITU, AC DE METEORIS.

DISPUTATIO I.

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

Periochen præsentium librorum jam dedimus in proœmio hujus Partis tertiæ, ubi diximus, quod in his agatur de corpore naturali ut *mobili* motu *generationis* & corruptionis, seu de corpore *mixto*, quod est altera species corporis naturalis ut sic. In hac prima Disputatione itaque tractabimus de generatione & corruptione per Quæstiones tres. Prima resolvet difficultates circa generationem & corruptionem *substantialem*: secunda circa *alterationem*, aliosque motus *accidentales*, generationem concomitantes: tertia circa *mixtionem*, tanquam generationis speciem. In Disputatione altera obiter inspiciemus meteora; huc reducibilia.

QUÆSTIO I.

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE SUBSTANTIALI.

ARTICULUS I.

An? & quid sit generatio & corruptio *substantialis*?

Prænotandum: Nomine *generationis* hic 97 intelligi *productionem* alicujus substantiæ è *subjecto*; sive deinde illa substantia vivens sit, sive non. Hujus existentiam asseret

CONCLUSIO I. Dantur in rerum natura 98 generationes & corruptiones. Ita Peripatetici omnes contra Atomistas.

Prob. 1. In phycis debemus sequi sensum: 99 atqui sensus manifeste probant, dari generationem & corruptionem; dum videmus ex *semine* deciso à vivente generari *aliud* vivens, hominem mori &c. quæ mutationes sunt *substantiales*; nam ubi sunt distincta omnino *accidentia* & proprietates penitus *diversa*, ibi etiam debent fieri aliæ & diversæ substantiæ, tanquam essentia & radix illarum; ergo.

Prob. 2. Generatio *substantialis* est mutatio 100 ex substantia *potentia* in substantiam actu: atqui *hac* datur, dum ex *semine* fit animal; ergo. m. p. Semen decifum, licet sit aliquid *substantiale* in specie *seminis*, non tamen *actu formaliter* est aliquid *substantiale* in specie *animalis* (aliàs in prima decisione jam formaliter adesset animal) ergo dum ex illo fit animal, fit mutatio de substantia *potentia* in substantiam actu. Idem est, dum 101 ex ligno fit ignis: Neque enim ignis extrahitur, sicut v. g. favillæ ex cinere; alias sicut cinis, in quo *entitative* ignis latet, se solo calefacit, ita & lignum quodvis combustibile deberet actu calefacere; ergo.

CONCLUSIO II. Generatio *substantialis* 102 est mutatio de substantia *potentia* in substantiam actu. Ita communis ex *Arist.* hic t. 25.

Explicatur: Sensus est, quod tunc fiat generatio 103 *substantialis*, quando materia, quæ erat in *potentia* ad aliquam formam, abjecta hujus formæ privatione, ipsam formam acquirit. Hinc corruptio vice versa definitur: est mutatio de substantia actu in substantiam potentia.

Objicies 1. cont. 1. concl. Si daretur generatio 104 *substantialis*, tunc produceretur vel *essentia*? vel *existentia*? atqui neutrum potest dici (: n. hoc; & dico, utramque simul produci seu potius rem, quæ habet essentiam & existentiam; nam abstracta non fiunt sed *concreta*;) ergo. m. p. Non *essentia*; quia essentiæ rerum sunt ab æterno (: *logice* c. *physice* n. :) Nec *existentia*; quia est *accidens* (: *physicum* & prædicamentale n. *logicum* & *pradicabile* c. Est enim actus

12 Pars III. tr. 2. in Phys. partic. de generatione & corruptione substantiali.

actus substantialis, ultimo complens naturam, & ponens illam extra causas :) ergo.

105 Instabis: *Forma* substantialis non accipit esse seu *existentiam* (: ut quod c. ut quo n. quia sicut non operatur nisi mediantibus accidentibus, ita tantum accipit esse, seu *existentiam* mediante toto composito :) ergo. a. p. Sicut operari, ita & existere est solummodo suppositorum; ergo.

106 Ob. 2. *Formæ* peripateticæ sunt *substantia*; ergo nequeunt dependere à *materia* prima (: ut à subjecto accidentalibus *inhabitionis* c. ut à subjecto *informationis* & sustentationis simul, vel *informationis* tantum n. Sic omnia *composita* tam cœlestia quam sublunaria sunt *substantia* apud atomistas; & tamen *dependent* ab atomis, eo ipso quod ex his componantur :)

107 Repones; Non dantur *causæ efficientes*; ergo. a. p. Tales maxime forent *intellectus* & *voluntas* respectu intellectiois & volitionis, tanquam accidentium absolutorum: atqui non sunt; ergo. m. p. *Intelligere* & *velle* est agere (: *immanenter* & adintra c. transeunter & ad extran. :) atqui *causa* non agit (: ad extra c. secus n. :) per suum *effectum*: ergo.

108 Ob. 3. Sensationes & vegetationes in *homine* non proveniunt ab *anima*, à *materia* entitative *distincta*: ergo nec in *aliis* animalibus. a. p. *Anima rationalis* non potest physice *movere organa* sensuum (: *immediate* t. mediate, *mediantibus* nempe suis potentiis accidentalibus, tanquam suis *proportionatis* proprietatibus n. :) quia ille motus vel esset *materialis*? & tunc non erit proportionatus motori *spirituali* (: si ageret *immediate* c. secus n. :) vel *spiritualis*? & tunc non erit proportionatus rei motæ *materiali*; ergo. (: *re. retorque*ndo: in *homine* non dantur sensationes & vegetationes, quin effectivè proveniant ab *anima rationali*; quia hac per mortem seperatâ, nullæ sensationes amplius dantur: ergo nec in *aliis* animalibus, quin ab *anima distincta*: præsertim cum vegetationes & sensationes *quæ tales* sint ejusdem rationis specificæ subalternæ: quin imo perfectiores in plantis & brutis; cum latius excrescant, odorentur &c. :)

109 Ob. 4. *Causa* producens effectum *materialem* non producit *materiam*, nec *formam materialem*; ergo. a. p. sicut omnis *substantia* spiritualis est *spiritus*, sic omnis *substantia* materialis est *materia* (: per modum puræ *potentiæ* primæ informabilis n. per modum *actus* primi informativi, è *potentiæ* materiæ primæ educti, c. :) atqui *forma* materialis est *substantia* materialis, saltem *incompleta*; ergo.

110 Urg. Si *Deus* *formam ignis* actu conservaret *extra* *materiam*, sicut accidentia *Evcharistica* *extra* *subjectum*, adhuc foret actu calida (: *radicaliter*, virtualiter, seu *exigitive* & remote c. *formaliter*, actualiter, exercite & *proxime* n. Sic *anima rationalis* separata adhuc est principium

vegetandi & sentiendi :) ergo etiam *quanta* (: n. c. Quia *quantitas* est primum *accidens* materiæ :) consequenter *substantia* completa. *Vid. n. 146.*

Ob. 5. Omnis *substantia* *spiritualis* est *spiritus* (: vel *completus*, ut *Deus* & *Angelus*, vel *incompletus* & per se informans, ut *animæ* indifferenter & quomodocunque n. :) ergo etiam omnis *substantia* *materialis* erit *materia* (: vel prima vel secunda: vel ipsa *materia*, vel aliquid materiæ, vel *completa* vel *incompleta* c. secus n. :) atqui *forma* absoluta lapidis est *substantia* materialis; ergo est *materia* (: absolute n. *materia incompleta* & per modum *actus* primi c. :) Præterea: *Forma* lapidis non est *spiritus*; ergo est corpus (: *retorq.* atomus non est *spiritus*; ergo est corpus :) ergo est *quanta*; consequenter non potest intime penetrare *materiam* (: *Retorq.* ergo nec lux illustrare *aërem* :) *Vid. P. Oberhauser n. 137.*

Ob. 6. cont. 2. concl. In prima *productione* cœlorum & *elementorum* non fuit *mutatio*, & tamen ibi dabatur *generatio* (: n. hoc; nam ad *hanc* requiritur vera *mutatio* & *privatio actualis* in priori *durationis*, ut docet S. Th. 1. 2. q. 45. a. 2. & 2. cont. *gent. c. 17.* :) quia eorum *formæ* factæ sunt *dependenter* à *materia* (: n. hoc; sed fuerunt *comproductæ*; quamquam deinde quoad *esse* dependere inceperint :) ergo non bene definitur, quod sit *mutatio*.

Insistes: Quando ex *speciebus* *Evcharisticis* fiunt *vermes*, est *vera* *generatio* (: n. iterum; sed est *actio* aliqua tertia *innominata*, qualis fuit *conversio* uxoris Loth in statuam *salis*, vel aquæ in vinum, *ex tr. 1. de Sac. n. 584.* :) & tamen ibi nulla est *mutatio* physica: ergo. a. p. Ibi datur *alteratio* (: *vi* cuius producantur *vermes* n. ita ut, posita sufficiente *alteratione*, *Deus* convertat *species* *Evcharisticas* non tantum in *materiam* sed *simul* in *formam*, adeoque in totam *substantiam* *vermis* c. :) ergo & *generatio*.

Ob. 7. urg. Ad *generationem* *hominis* sufficit, si à *generante* ponatur *ultima* *dispositio*, *vi* cuius *forma* *hominis* naturaliter sequitur: ergo etiam ad *generationem* *vermium* ex *speciebus* *Evcharisticis* sufficit, quod per *agentia* naturalia ponatur *ultima* *dispositio* ad *formam* *substantialem* *vermium*, licet *hec* à *Deo* producat (*n. c.* Quia in *generatione* *hominis* *materia* præcessit cum *reali* & *actuali* *privatione*: non item in *productione* *vermium*; nam quando *materia* producitur cum *forma*, non acquirit alium & *novum* *statum*, sed *esse simpliciter*, adeoque non *mutatur*. Nec sufficit *privatio* illa *exigiva*: enimvero *physica* *mutatio* est *physicus* transitus à *privatione* ad *formam*; adeoque *physice*, *realiter*, & *actualiter* *materia* *privata* debet præexistere *formæ*: sicut quia *creatio* est *realis* & *actualis* transitus à non *esse* ad *esse*, NON ESSE

SE debet præcedere non tantum natura vel potentia sed actu & realiter, ex n. 14. :)

115 Dices: *Quantitas* in speciebus Evcharisticis subit vices materiæ: ergo datur realis privatio; consequenter est vera mutatio & generatio (: t. a. n. c. Quoniam generatio est transitus de *substantia* potentia, qualis utique quantitas non est :) Denique: conversio (: *naturalis* c. *supernaturalis*, qualis est conversio specierum Evcharisticarum in substantiam vermis, n. Sic conversio uxoris Loth in statuam salis non fuit generatio; etenim omnis generatio est quidem conversio, sed non vicissim; sicut omnis homo est *animal*, non tamen vicissim :) non distinguitur à generatione; ut patet in productione ignis: ergo si productio vermium ex speciebus Evcharisticis est *conversio*, erit etiam *generatio*.

ARTICULUS II.

Utrum generatio & corruptio tum inter se? tum ab alteratione prævia realiter distinguantur.

116 PRænotandum: Alterationem esse *actionem*, qua materia successive disponitur ad formam veterem abjiciendam & novam recipiendam. Quæ si immediate tendat ad dispositionem ultimam, dicitur alteratio *ultima*: si prius interrumpatur, dicitur non *ultima* seu *media*: hancque à generatione *substantiali* distingui, certum est; quia realiter separatur. De *ultima* igitur restat dubium, an distinguatur ab *alteratione* & quidem *causaliter*, active, & in fieri *sumpta*? Quippe quod altera *ultima* distinguatur à generatione *substantiali* formaliter, passive, & *terminative sumpta* (sc. prout est ipsa *resultantia* formæ) indubitatum est; cum *alteratio* fit in composito *corrumpendo*; generatio autem *terminativa* in composito genito.

117 CONCLUSIO I. Generatio *substantialis*, *causaliter sumpta*, non distinguitur *realiter* ab *alteratione* prævia *ultima*. Est contra plures, etiam TT. inter quos est P. Babenstuber &c &c.

118 Prob. 1. Per *alterationem* præviam introducit *nova* forma *substantialis*; cum per *alterationem* introducatur ad *novam* formam *ultima* dispositio: ergo etiam ipsa forma. c. p. Quia habent necessariam *connexionem*; ut patet in igne, qui cum calore ut s. necessario connectitur: ergo eadem *realiter actio* est *alteratio* (quatenus pro termino *immediato* habet *ultimam* dispositionem) & *generatio* (quatenus pro termino *mediato* habet formam *substantialem*)

119 Prob. 2. Si generatio *realiter* distingueretur, tunc *substantia* esset *immediate* operativa; quia *terminus* immediatus illius actionis generativæ esset *substantia*: ergo etiam principium im-

R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

mediate operativum foret *substantia*; siquidem in agentibus univocis *terminus* immediatus (utpote *specificans*) & principium immediatum debeant habere proportionem.

CONCLUSIO II. Generatio *substantialis* non distinguitur *realiter* à corruptione; nec corruptio ab *alteratione*: bene tamen *virtualiter*. Ita communis.

Prob. 1. pars: Generatio & corruptio sunt *idem* uni *tertio* sc. *alterationi*; ergo etiam sunt *idem* inter se. a. p. quoad *corruptionem* (nam quoad *generationem* patet ex n. 110. :) Sicut ex virtute *ultimæ* dispositionis necessario *resultat* forma *novi* compositi; ita vi *eiusdem* *ultimæ* dispositionis *introducitur* *perit* forma compositi *corrumpendi*, (aliàs duæ formæ essent in eadem materia) ergo sicut generatio non distinguitur *realiter* ab *alteratione*, sic nec *corruptio*.

Prob. 2. pars: Eadem *entitative actio*, quatenus terminatur ad *accidentia* seu *dispositiones*, vocatur *alteratio*: quatenus verò *his* *mediantibus* tendit & terminatur ad *formam substantialem* de novo acquirendam, generatio dicitur: quatenus denique *mediantibus* *iisdem* *accidentibus* *priorem* formam *destruit*, tendens ad *privationem* veteris formæ, *corruptio* appellatur: ergo distinguuntur *virtualiter*.

Objicies 1. cont. 1. concl. S. D. 3. cont. 123 *gent. c. 69.* asserit: *forma substantialis* habet *actionem* sibi *propriam*: atqui *alteratio* non est *actio* *propria* formæ *substantialis* (: *q. d. m.* quatenus præcise est *alterativa* & terminatur ad *accidens* *nude* sumptum c. non est *actio* *propria* quatenus est *generativa*, tendens ad *ultimam* dispositionem cum *forma* *substantiali* *connexam*, seu quatenus est *virtus* *substantiæ*, n. :) quia terminatur ad *qualitatem*: ergo præter *alterationem* debet admitti *actio* *distincta*, quæ dicatur *generatio*.

Ob. 2. Generatio est productio *substantiæ*, & *alteratio* est productio *accidentis* (: præcise ut *accidens* est n. prout *accidens* habet *rationem* *ultimæ* dispositionis, se extendentis ad *formam* *substantialem*, tanquam terminum *mediatum*, c. :) ergo *realiter* distinguuntur. c. p. Quia habent *diversos* terminos (: *subordinatos* tamen c. non *subordinatos* n. Nam *ultima* dispositio & forma *substantialis* invicem *subordinantur*; ergo *eadem* *realiter* *actio* utramque *producit*; sicut *eadem* *actio* *producit* *essentiam* & *proprietates* :)

Instabis: Dispositio *ultima* perit, adveniente forma *substantiali*; quia datur *resolutio* usque ad *materiam* *primam*: ergo dispositio *prævia* & *nova* forma *substantialis* non connectuntur (: *connexionem* *simultatis*, ita ut simul existant c. *connexionem* *immediatæ* *successionis* n. Sic *terminus* necessario connectitur cum *via* sive tendent-

14 Pars III. tr. 2. in Phys. partic. de generatione & corruptione substantiali.

tendentia ad illum, ita ut illi succedat infallibiliter :)

126 Ob. 3. Generatio substantialis (: *formalis*, passiva seu terminativa c. *causalis* & activa n. :) fit in instanti; quia materia in instanti transit & *mutatur* de privatione ad formam (: terminative c. *causaliter* n. :) eoquod acquirat in instanti *suum* terminum (: *immediatum*, qui est ultima dispositio, n. *mediatum*, qui est forma substantialis, c. :) ergo non potest esse idem cum *alteratione*, quæ fit successive.

127 Urges: Generatio hominis (: *formalis* & terminativa c. *causalis* & activa n. :) tunc fit, dum creatur anima rationalis: atqui anima rationalis creatur in instanti, quo unitur materiæ; ergo saltem generatio hominis (: terminative c. *causaliter* n. :) fit in instanti.

128 Ob. 4. Quando est generatio, non amplius est alteratio: ergo realiter distinguuntur. a. p. In illo instanti est generatio (: *causalis* n. terminativa c. :) in quo ponitur ipsa forma: atqui tunc alteratio non amplius durat; ergo. Contra: quando alteratio est, forma nondum est (: in *facto* esse c. nondum est in *fieri* sive secundum dispositiones, essentialiter ad se ordinatas & secum connexas, n. :) ergo nondum generatur (: in *se* c. secundum *dispositiones* n. hoc autem sufficit, quia est *terminus mediatum* solum :) consequenter tunc nondum datur generatio; ergo separantur &c.

129 Ob. 5. Etiam posita ultima dispositione, Deus posset impedire *resultantiam forme*: ergo non connectuntur necessario. a. p. Quia alias illa resultantia esset Deo necessaria (: necessitate *antecedente* n. *consequente*, quia nempe non impedivit ultimam dispositionem, c. Sic posita anima rationali, Deus non potest impedire risibilitatem; & tamen per hoc non læditur ejus libertas :)

130 Ob. 6. Actio, qua producitur *substantia* seu forma substantialis, debet esse vera & *physica* actio: quia est effectus physicus omnium nobilissimus: atqui actio emanativa seu pura *resultantia* ex termino prius producto, non est actio vera & physica; ergo actio, qua producitur substantia, non est pura resultantia. m. p.

131 Resultantia *proprietas* ex essentia, *relatio* ex fundamento, sunt actiones tantum metaphysicæ: ergo etiam resultantia *substantia* ex ultima dispositione erit actio solum *metaphysica* (: n. c. Quia *substantia* est terminus *primarius* respectu actionis qua producitur, sc. respectu *ultime* dispositionis: e contra *proprietates* & *relatio* tantum sunt terminus *accidentalis* & *secundarius* actionis, qua producuntur: adeoque actio prout datur ad ipsas, est impropria & metaphysica duntaxat :)

132 Ob. 7. cont. 2. concl. Generatio & corruptio (: respectu *eiusdem* compositi c. generatio *unius* compositi & corruptio *alterius* n. Sic

generatio *ignis* & corruptio *ligni* non sunt termini oppositi sed *subordinati*, quia materia ligni est incapax duarum formarum simul :) habent terminos *oppositos*: ergo *realiter* distinguuntur; quia distinctio sumitur a *termino ad quem*. a. p. Generatio pro termino habet *esse*, corruptionem *non esse*; ergo.

Ob. 8. Corruptio (: *causaliter* & *realiter sumpta* n. *terminative* & *formaliter* c. :) non est *productiva* alicujus *termini*: ergo non est actio *physica*; consequenter non est *idem* cum generatione. a. p. Terminatur ad *non esse* (: *sumpta formaliter* c. *realiter* n. :) ergo.

Quæres: Quinam sit terminus *primarius* 134 generationis substantialis? R. Terminus *ad quem adequatus* & *ut qui* est totum *suppositum* seu compositum metaphysicum: quia hoc solum *simpliciter* fit, & generatur; cum hoc solum *existat simpliciter*. Terminus verò *inadequatus* & *ut* 135 quo, seu *formalis totalis* est totum *compositum physicum*: quia hoc per modum totius essentiae constituit *terminum qui*, & determinat ad *certam speciem*. Partialis autem est forma *substantialis*: 136 quia hæc per *modum partis* formaliter constituit essentiam. *Terminus secundarius* sunt accidentia 137 & proprietates, genito naturaliter debita: quia hæc ex *primario* resultant vi *eiusdem* actionis; ergo.

ARTICULUS III.

Quodnam sit subjectum generationis & corruptionis? aliorumque accidentium?

PRænotandum: Quæstionem præsentem fieri 138 de generatione *causaliter* sumpta (quatenus nempe *accidens* est; hinc quod de *hac*, etiam de *aliis* accidentibus materialibus dicendum erit) item de subjecto *inhesionis*; nam subjectum *mutationis*, uti & *informationis* esse materiam, subjectum autem *denominationis* ipsum *compositum*, certum est; siquidem *hoc* recipiat denominationem *geniti*, eoquod materia sit ingenerabilis.

CONCLUSIO: Subjectum immediatum 139 generationis & corruptionis, cæterorumque accidentium materialium est totum compositum seu potius suppositum; non verò materia prima, vel sola quantitas. *Est partim contra RR. partim contra TT. generationem ab alteratione realiter distinguentes.*

Prob. 1. Accidentia materialia recipiuntur 140 in subjecto *mediate quantitate*, ceu ratione *proxima* recipiendi: ergo illi inhaerent *immediate*, cui inhaeret *quantitas*. Subl. sed *quantitas* inhaeret *toti composito*; quia est *eius* proprietas; cum *substantiam corpoream* per hoc ab *incorporea differre* faciat; ergo.

Prob. 2.

141 Prob. 2. Prius est esse & per se subsistere, quam *subesse* & *substare* aliis; siquidem illud alia sustentare non possit, quod in seipso non subsistit: atqui nec *materia* prima, nec *quantitas*; nec compositum præcise qua *physicum*, subsistunt; cum in nulla sententia sint supposita: ergo *substare* & esse *subjectum* accidentium immediatum nequeunt, sed hoc erit solum *compositum subsistens*; & quidem *corrumpendum*: quia hoc est *subjectum alterationis prævie*, cum qua generatio & corruptio identificantur.

142 Obijcies 1. *Materia prima* est *immediatum* *subjectum formæ substantialis*, etsi non existat: ergo etiam potest esse *subjectum immediatum formæ accidentalis* (: n. n. c. & c. Quia forma *substantialis* est *actus primus sui subjecti*, adeoque hoc non debet prius *existere*; aliàs haberet *actum secundum* ante primum: contra forma *accidentalis* est *actus secundus* tantum, qui in *subjecto* supponit necessario *primum*; quem tamen *materia prima* non habet:) c. p. Forma *accidentalis* est *minoris vigoris* & *gravitatis* quam *substantialis*; ergo.

143 Ob. 2. Sola *materia* per generationem *mutatur* (: *immediate* & *dispositive* n. taliter enim solum *compositum* *corrumpendum* *mutatur*: *mediate* & *terminative* c. tunc autem non amplius est *generari* *causaliter* sed *generatum* esse:) ergo sola est *subjectum*. Præcipue: quia in *materia* recipitur *terminus* generationis (: *mediatus*, qui est forma *substantialis*, c. *immediatus*, qui est *ultima dispositio*, n. hæc enim recipitur in *composito* *corrumpendo*:) ergo.

144 Instabis: *Materia disponitur* ad formam (: *immediate* n. mediante *composito* *corrumpendo* c. Nec ideo sequitur *compositum* *corrumpendum* *generari*: nam juxta aa. generatio est in *materia prima*, nec tamen *generatur*:) ergo *ultima dispositio* est in *materia*.

145 Ob. 3. *Quantitas* *immediate* recipitur in *materia*, quia est *hujus proprietatis*; cum *quantitas* sequatur *materiam* sicut *qualitas* *formam*: ergo etiam *reliqua* *accidentia* (: n. n. a. & p. quia *quantitas* est *proprietatis* *substantia corporea*: *paritas* est pro nobis; nam sicut *qualitas*, etsi sequatur *formam*, non recipitur in ipsa forma sed in *toto* *composito*, ita nec *quantitas*, etsi sequatur *materiam*, in *sola* *materia* recipitur sed in *toto* *composito*:)

146 Dices: Ut forma recipiatur in *materia*, præsupponit *materiam* esse quantum (: *prævie* n. *concomitanter*, dum cum ipsa forma recipit *quantitatem*, c. :) ergo *quantitas* recipitur in *sola* *materia*. a. p. Alioquin reciperetur in *indivisibili*; ergo.

147 Ob. 4. *Accidentia materialia* educuntur ex *potentia* *subjecti* (: id est ex ipso *subjecto*, prout se habet ad *actus* *accidentales* tanquam *potentia* c. id est, ex *materia prima* subd. tanquam ex *subjecto* *toto* *educationis* n. tanquam ex *radi-*

ce *educationis* c. *Materia* enim propter suam *potentialitatem* est tantum *radix* horum *accidentium* :) quod est *materia prima*: ergo etiam *subjectantur* in illa.

Urges: *Accidentia spiritualia* *immediate* 148 recipiuntur in *anima spirituali*: ergo & *materia* in *materia* (: n. c. Quia *anima rationalis* ex se est *existens* & *subsistens*; adeoque etiam potens *substare* *accidentibus*: econtra *materia* nullum habet *actum substantialem*, consequenter non potest recipere secundum & *accidentialem* :)

Ob. 5. Si ita est, tunc *anima* erit *sub-* 149 *jectum* saltem *inadequatum* (: ut quo c. ut quod n. :) *accidentium materialium*: atqui hoc nequit admitti; ergo. m. p. Secus *anima* possit dici *quanta* v. g. (: ut quo c. ut quod n. :) ergo.

Insistes: *Accidens spirituale* *permanens* 150 non potest recipi in *materia*, ut in *subjecto* quo: ergo nec *accidens materiale* potest recipi in *subjecto spirituali* seu *anima*, etiam tantum ut in *subjecto* quo (: n. c. Quoniam *materia*, utpote *ordinis inferioris*, non est *eminenter* & ut *quo* *spiritualis*: *qualiter* tamen *anima* est *materialis* & *corporea* :) Vid. Theol. nost. P. VII. n. 152.

ARTICULUS IV.

Num in corruptione *substantiali* fiat *resolutio usque ad materiam primam*?

Prænotandum: Hic quæri, an si *corrump-* 151 *pitur* aliquod *totum*, ita fiat *resolutio*, ut ex *composito* *corrumpendo* *nihil* omnino maneat in *composito* *genito* præter *materiam*?

CONCLUSIO: In corruptione *substantiali* fit *resolutio usque ad materiam primam*. 152 Ita TT. omnes cont. Scot. & RR. ex S. D. 1. p. q. 77. a. 6. Dicens alibi *contrarium* loquitur de *accidentibus* *iisdem specie*, non *numero*.

Prob. 1. In corruptione *substantiali* de- 153 *struitur* *subjectum* *accidentium*, nempe *compositum* *substantiale*: ergo etiam *destruuntur* & *pereunt* ipsa *accidentia*. c. p. Tum quia *accidentia*, *eadem numero*, non possunt *migrare* de *subjecto* *in* *aliud*; cum a *subjecto* *individentur*: Tum quia *accidentium esse* est *in esse*; unde si tollitur *subjectum* & *in esse*, etiam tollitur ipsum *esse* *accidentium*, saltem *naturaliter*; ergo.

Prob. 2. Per corruptionem *substantialem* 154 *separatur* à *materia* *actus primus*, sc. forma *sub-*
D 2 stan-

Substantialis: ergo etiam debet ab ea separari actus secundus; qualis sunt accidentia omnia.

155 Obiicies 1. In homine mortuo videtur superesse eadem (: n. d. a. numero n. eadem specie c. :) quantitas, color, figura, cicatrix; ergo manent eadem numero accidentia. c. p. Sensus suo sensibili debite applicatus non fallitur (: si versetur circa objectum intra suam spheram contentum t. quia oculus etiam debite applicatus, apprehendit baculum in aqua fractum: si objectum sit extra ejus spheram n. Judicium autem de identitate numerica non est intra spheram sensuum; ut patet, dum oculus inter duo ova, successive ostensa, nescit discernere unum ab alio; cum ab iis modo diverso non immutetur :) ergo. Deinde: Corpus Christi post mortem mansit idem (: ratione forma n. ratione hypostasis c. :) Item idem corpus Lazari resurrexit (: manentibus iisdem numero accidentibus n. reproductis virtute Divina c. :) Vid. n. 257. item P. Hueber n. 26.

156 Ob. 2. urgendo: In cadavere mox occiso est idem numero calor, qui fuit in vivo: ergo. a. p. Caloris numero distincti non potest assignari causa; ergo est idem numero. a. p. Causa illa non est generans cadaver; quia hoc saepe est frigidum, ut si aqua suffocet hominem: ergo non potest esse causa caloris (: absolute & per se c. per accidens, quatenus est modificatum per reactionem, prout sc. reparatur per resistantiam passi, & quatenus destruit subiectum, n. :) qui est in cadavere; cum omne agens producat sibi simile (: directe c. indirecte n. :)

157 Ob. 3. Non datur actio, quae producat nova accidentia in composito novo: ergo manent eadem numero. a. p. Actio illa deberet esse alteratio praevia: atqui haec non est; quia in eo instanti, in quo novum compositum generatur, alteratio non amplius est (: in se c. in suo termino vid. in forma substantiali, a qua illa alia accidentia emanant; n. :) ergo.

158 Ob. 4. Aliqua accidentia in novo cadaveris composito statim iterum pereunt; ergo non sunt nova: praesertim quia aliàs generans inutiliter produxisset (: n. hoc; nam id exigit tum similitudo & imago animalis, quam cadaver aequivoce sustinet: tum sigillatio materiae, quae est ipse effectus dispositionis praeviae, qui in recto est ipsa materia sigillata ad formam per dispositiones, quas in obliquo connotat: sicut peregrinator, Romae existens, est ipsa entitas peregrinatoris, prout in obliquo connotat peregrinationem & viam praeviam. Quod verò iterum pereant, provenit ex defectu conservantis, cum necessaria non sint :)

159 Ob. 5. Si datur resolutio usque ad materiam primam, perinde erit vesci carnibus perdicinis aut asininis: quia in occisione omnia accidentia pereunt (: quoad numerum c. quoad

speciem n. :) Item ossa Sanctorum non amplius essent colenda, quia sola materia manet (: cum connotatione tamen unionis habitae & habendae cum anima, Deo fruente c. secus n. Imo ad cultum illarum sufficeret, quod fuerint instrumentum ad gloriam :) atqui hoc dici non potest; ergo. Vid. tr. de Incarn. a. n. 652.

Ob. 6. Si in corruptione substantiali materia denudatur ab omni forma accidentali, tunc forma substantialis introducit in materiam indispositam (: n. hoc; quia antea est sub dispositionibus praeviis, in instanti autem generationis est sub dispositionibus concomitantibus :) atqui hoc dici non potest. S. M. p. In instanti generationis non adsunt dispositiones praeviae (: in se c. in suo termino, nempe in ipsa forma genita n. Sic quando sum Romae, etsi peregrinatio non amplius sit praesens in se, est tamen praesens in suo termino :) quia haec cum forma veteri pereunt. Nec concomitantes; quia haec primum sequuntur formam (: in genere causae efficientis c. sequuntur in genere causae materialis & dispositivae n. Sic quando ventus aperit fenestram, ingressus venti & apertio fenestrae sunt simul realiter: in genere tamen causa efficientis flatus venti & illius ingressus est prior quam apertio fenestrae; haec enim ab illo aperitur: Et simul e contra apertio fenestrae in genere causa dispositivae est prior quam flatus & ingressus venti; non enim ingrederetur ventus in cubile, nisi fenestra patescendo illum intromitteret :) ergo materia est indisposita.

Urges: Dispositiones praeviae non sunt praesentes in suo termino: ergo. a. p. Non potest reddi ratio, cur resultet haec forma & non alia; cum in illo instanti nulla sit dispositio (: formaliter c. virtualiter n. Quippe eo ipso, quod materia fuerit sub his dispositionibus praeviis, resultat etiam haec forma; sic quia fui in via versus Romam, in fine viae potius sum Romae quam alibi :) ergo.

Ob. 7. Insk. Saltem dispositiones concomitantes non possunt disponere ad formam; ergo. a. p. Supponunt formam jam receptam (: in genere causae efficientis, sive ut proprietates sunt, c. in genere causae materialis dispositivae sive ut accidentia sunt n. :) quia has forma secum fert: ergo non disponunt ad formam (: in genere causae efficientis c. non disponunt in genere causa materialis n. :)

Inst. Quod non existit, non potest disponere: atqui dispositiones concomitantes in instanti generationis non existunt; quia non habent inherentiam (: praeviam c. concomitantem n. haec autem sufficit, sicut in materia prima, ut recipiat formam, existentia concomitans sufficit :) ergo.

Ob. 8. premendo: Implicat idem in eodem genere causae (: univoco, & secundum eandem rationem c. analogo & secundum diversam rationem

rationem n. Etsi enim forma substantialis sit *causa materialis* dispositionis ultimæ seu concomitantis, & vicissim ultima dispositio sit causa materialis dispositiva *respectu formæ* recipiendæ; hæc tamen causalitas non fit in eodem genere *univoco*, neque secundum eandem rationem: nam causa materialis *ut sic* tanquam aliquid analogum, dividitur in causam *receptivam*, *dispositivam* &c. :) esse *prius* & *posterius*: atqui si ultima dispositio *præcederet* introductionem formæ substantialis, esset *prior* in eodem genere *causæ materialis*, ut supponitur: & *posterior*; quia subiectum inhætionis ultimæ dispositionis, quod est forma substantialis, utique est *prius* illa; ergo. *Vid. tr. de Grat. a. n. 319.*

166 Clamas: Nihil potest esse causa *sua* causæ efficientis (: efficiens & *simpliciter dicta* c. per modum *dispositionis* n. :) atqui si accidentia concomitantia habent rationem *causæ materialis dispositivæ* respectu formæ, à qua effectivè emanant, erunt causa *sua* causæ efficientis (: improprie talis & tantum *emanativa* c. fecus n. Imo etiam nego, quod causa emanativa causet dispositiones, *quatenus* sunt dispositiones ad introductionem formæ; sed solum causet illas, quatenus tanquam naturales proprietates à se resultant, sibi que naturaliter connectuntur; quo modo nullam prorsus respectu formæ causalitatem dicunt :) ergo.

QUÆSTIO II.

DE ALTERATIONE, EJUSQUE SPECIEBUS.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit alteratio?

167 **P**rænotandum: *Alterationem* hic sumi pro sola mutatione illiarum *qualitatum* in tertia specie, quæ habent *contrarium*, quæque *successivè* fiunt, & sunt *corruptivæ* alterius qualitatis. Definitionem *hujus* dabit

168 **CONCLUSIO I.** Alteratio est motus inter qualitates sensibiles contrarias, medias, vel extremas, manente eodem subiecto sensibili. *Ita communis ex Arist. hic l. 1. t. 23. & S. D. ib. lect. 10.*

Prob. explicatione: Dicitur 1. *motus*, loco generis. 2. *Inter qualitates sensibiles*, ut excludantur acquisitiones *scientiarum* & aliarum *qualitatum spiritualium*. 3. *contrarias*, quia requiritur aliqua *oppositio*, vi cuius habeant aliquam *successionem* & latitudinem *pertransibilem*: non tamen requiritur *extrema*, sed sufficit *media* qualis datur etiam in eadem qualitate secundum magis & minus. 4. *Manente eodem subiecto*, per quod *alteratio* distinguitur à *generatione* substantiali, ubi non manet idem numero subiectum, quia perit compositum: ergo.

tiali, ubi non manet idem numero subiectum, quia perit compositum: ergo.

CONCLUSIO II. Alteratio dividitur 169 in tres species, nimirum in alterationem *specificam*, in *intensionem*, & in *remissionem*. Iterum *communis*.

Probatur: Tot sunt species alterationis, quot sunt termini ad quos alterationis, *specie* distincti: atqui *tales termini* sunt tres, nempe qualitas *de novo* producenda, quæ terminat alterationem *specificam*: deinde qualitas *augenda*, quæ *intensionem*; & qualitas *minuenda*, quæ *remissionem* terminat; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Qualitas non 170 est *divisibilis* (: *q. d. in se c. in ordine ad subiectum* n. :) ergo non est motus. a. p. Habet *essentiam simplicem*: ergo.

Ob. 2. cont. 2. concl. Datur motus ad 171 qualitatem etiam secundum *extensionem* in subiecto: ergo sunt *quatuor* species (: n. c. Etenim *extensio* non convenit qualitibus per se, sed solum ratione *quantitatis*: qui motus insuper non distinguitur à tribus prædictis, sed ad illos reducitur :))

Ob. 3. Omnis qualitas producitur cum 172 aliqua intensione; quia semper cum *aliquo* gradu (: *per se* n. per *accidens* c. :) ergo alteratio *specificam* non distinguitur ab *intensione* (: *late sumpta* t. *stricte* sumpta n. :))

Ob. 4. In divisione alterationis unum 173 membrum adæquat alterum; ergo. a. p. *Divisum* est alteratio (: *generice* sumpta c. *specificè* n. :) & unum membrum *dividens* est etiam alteratio (: *generica* n. *specificam* c. :) ergo.

Quæres: Utrum alteratio sit motus *successivus*? & *continuus*? *q. d. Quod sic.* Ratio primi est: quia alteratio fit cum *resistentia* unius qualitatis, hocipso quod fit inter qualitates *contrarias*; ergo fit cum *successione*, quæ aliàs est de *essentia* motus. Ratio secundi est: quia alterans, v. g. ignis, est agens naturale & *necessarium*; ergo, si passo debite applicetur, *semper* agit, quousque passum ei assimiletur: quin, si interromperetur, non foret *motus* & alteratio *una*; quod tamen hic supponitur.

ARTICULUS II.

Quomodo fiat intensio qualitatis?

Prænotandum: Circa præsentem Rubricam 175 dari quatuor sententias: quas per quatuor conclusiones ordinate refellemus.

CONCLUSIO I. Intensio qualitatis non 176 fit per *deurationem* à suo contrario *Ita T. T. ex S. Th. in 1. dist. q. 2. a. 2. ad 3. cont. Suarez &c.*

Probatur: Tum, quia qualitas per *intensionem* taliter non *perficeretur*, sed tantum *con-*

trarium removeretur: tum, quia lux solis in meridie, & gratia in Beatissima V. fuit *intensa* sine depuratione à contrario; siquidem luci nil sit contrarium; & in B. V. nullum peccatum fuerit inventum: ergo.

177 **CONCLUSIO II.** Intensio non fit per *destructionem imperfectioris* qualitatis, & productionem *novæ* perfectioris. *Est contra Durandum.*

Probatur: Quia sic non fieret perfectio & intensio *ejusdem* qualitatis: sicut si Deus destrueret puerum, & crearet virum, homo non diceretur *crescere*, sed unus destrueretur, & alter produceretur: ergo.

178 **CONCLUSIO III.** Intentio qualitatis etiam non fit per *additionem gradus* ad gradum. *Est contra RR. & Scot.*

179 **Prob. 1.** Quia illi *gradus* vel essent *specie* distincti? & sic calor *ut s.* nihil aliud esset, quam conflatum quoddam ex gradibus caloris *specie* distinctis; quod est absurdum; cum *qualitas* sit potius aliquid simplex: vel *numero*? & sic *duo* numero accidentia essent in *eodem* *subiecto*: quod implicat, etsi essent tantum *partialia*. Enimvero in eodem *subiecto totali* nequeunt esse *duo* accidentia *totalia*; ergo nec *duo partialia* in eodem *subiecto partiali* sive in eadem parte *subiecti*: sicut enim accidentia *totalia* individuuntur à *subiecto totali*, ita *partialia* à *partiali*.

180 **Prob. 2.** *Gradus* illi deberent esse partes vel *essentiales* vel *integrales*; cum *qualitas* sit ens *per se* collocabile in *prædicamento*: atqui nec sunt partes *essentiales* (quia *tota essentia* haberi potest *sine hoc* vel illo gradu) nec *integrales*; quia *qualitas* consistit in *indivisibili* saltem in *abstracto* (: cum *sic* non suscipiat magis & minus, ex *Log. n. 838.*) & partes *integrales* præcisè habeantur ratione *quantitatis* (si sint *qualitates materiales*) ac ratione hujus extensionis nequeant recipi in eadem parte *subiecti*; sola enim *quantitas* constituitur *essentialiter* per extensionem in partes: ergo.

181 **CONCLUSIO IV.** Intensio fit per *majorem radicationem* ejusdem qualitatis in *subiecto*. *Ita TT. omnes ex S. D. 1. 2. q. 15. a. 2. ad 2. & c.*

Probatur: Per *majorem radicationem* *qualitas* fit *perfectior*; ergo etiam intensio. a. p. Per quod *qualitas* *perfectius inest*, per hoc fit *perfectior* (sicut enim accidentis esse *simpliciter* est *in esse absolute*, ita *perfectius esse* est *perfectius in esse*) atqui per *majorem radicationem* *perfectius inest*, informat, & actuat *subiectum*; ergo per *hanc* fit *perfectior*: quemadmodum etiam arbores eo magis perficiuntur, & crescunt, quo profundius & firmiter radicant.

182 **Objicies 1. cont. 1. concl.** *Qualitas* eo magis perficit *subiectum*, quanto magis *depuratur* à suo contrario (: *xy. d. a.* ita ut illa major

depuratio sit *essentialis* ratio magis perficiendi *subiectum* n. ita ut sit solum ratio *concomitans* & *præsupposita* c. :) ergo *qualitatem* intendi est ipsam *depurari* & c.

Ob. 2. cont. 2. concl. In omni motu, 183 ut possit acquiri terminus ad quem, perire debet terminus à quo (: *formalis* c. *materialis* n. :) atqui *intensionis* terminus à quo (: *materialis* c. *formalis* subd. est *qualitas imperfecta* secundum rationem *imperfecta* c. secundum suam *entitatem* n. :) est *qualitas imperfecta*; ergo ad productionem *perfectioris* perire debet *qualitas imperfecta* (: secundum rationem *imperfecta* c. secundum suam *entitatem* n. Sic in augmentatione non perit *quantitas minor*, quoad *entitatem* :)

Ob. 3. cont. 3. concl. Ubi est *nova* realiter actio (: *productiva* c. tantum *perfectiva* & *meliorativa* n. :) & *novus* motus, ibi debet esse *novus* realiter terminus: atqui *intensio* est *nova* realiter actio (: *productiva* n. *meliorativa* c. :) ergo debet habere *novum* realiter terminum sc. *novum gradum* qualitatis.

Instabis: *Intensio* est motus *realis*; ergo 185 termini à quo & ad quem debent esse realiter *distincti* & oppositi (: quoad *entitatem*, & secundum id quod dicunt in *recto* n. secundum aliquid in *obliquo* importatum c. :) Subl. atqui si *intensio* non fit per *additionem gradus* ad gradum sed ad *eandem* realiter *qualitatem*, non habet terminos oppositos (: secundum aliquid in *recto* importatum c. in *obliquo* n. Nam *quale simpliciter* & *magis* quale, qui sunt termini *intensionis*, etsi secundum *entitatem* non opponantur, opponuntur tamen secundum *obliquum*, sc. secundum *majorem participationem* à *subiecto* & *radicationem* :) ergo.

Replicas: Illa *major participatio* nihil superaddit *distinctum* (: quoad *entitatem* & in *recto* c. quoad *connotationem* & *obliquum* n. quia superaddit *subiectum*, prout connotat *actionem* intendentis, *dispositiones* & c. Quemadmodum diximus de *unione* & c. :) ergo per *majorem participationem* *qualitas* non fit *intensior*.

Ob. 4. *Gradus* qualitatis realiter *separantur* (: quoad *rectum* n. quoad *obliquum* c. :) quia calor *ut duo* potest esse *sine* calore *ut quatuor*: ergo realiter distinguuntur. Deinde: *subiectum* post *intensionem* aliter se habet (: *entitative* n. *connotative*, quatenus connotat *actionem fortius* unientis, c. :) ergo debet illi aliquid reale accedere. c. p. Ad *novam denominationem* requiritur *forma nova* (: *entitative* n. *nova connotative* seu *participative* c. :) ergo.

Clamas: In *augmentatione* adduntur *nove* 186 partes *quantitatis*; & in *extensione* qualitatis *nove* partes *qualitatis*: ergo etiam in *intensione* *nove* partes *qualitatis* addi debent (: n. c. Quia sic

fic duo, solo numero distincta, accidentia essent in eadem parte subjecti; quod non fit in extensione; cum supponat & fiat ad plures partes:)

189 Ob. 5. Si per intensiorem nulla entitas distincta superadditur, tunc sequitur non plus caloris esse in igne quam in aqua tepida (: entitative c. non plus participative n. :) Item aquam tepidam esse tam activam, quam ipsum ignem; quia habet totam virtutem calefaciendi (: entitative & non totaliter c. participative & totaliter n. :) quam habet ignis: ergo per intensiorem gradus qualitatis distinctus superadditur. Præsertim cum S. Th. & Aristoteles sapius gradus (: quoad majorem radicationem & actuatiorem subjecti c. secus n. :) qualitatis admiserint: ergo.

190 Ob. 6. cont. 4. concl. Non datur major radicatio; ergo. a. p. Qualitas recipitur quantum potest (: absolute n. dependenter à dispositionibus subjecti & agentis c. :) ergo non potest magis recipi & radicari.

191 Urges: Forma substantialis non potest modo magis, modo minus à materia participari; ergo neque forma accidentalis potest modo magis modo minus participari à subjecto (: n. c. Eo quod forma substantialis det esse simpliciter, adeoque totum simul: e contra forma accidentalis tantum dat esse secundum quid; sicque etiam participetur tota, non tamen necessario participatur totaliter, sc. quoad omnem modum & perfectionem, quo à subjecto participari potest:)

192 Ob. 7. Major radicatio in subjecto non tribuit majorem activitatem; quia nullam novam virtutem confert (: entitative c. participative n. :) cum per majorem radicationem subjecto nil novi adveniat: atqui intensio tribuit calori v. g. majorem activitatem (: per se n. per modum conditionis sine qua non, quia sc. virtutem unit, c. hinc calor in subjecto densio magis urit, quam in raro, ut experimur in ferro ignito:) ergo intensio non consistit in majori radicatione.

193 Ob. 8. Potest Deus intendere albedinem separatam à subjecto (: quod c. à subjecto quod & quo n. Nam nisi subjectaretur saltem in subjecto quo, sc. in quantitate, esset quidem perfectissima, non tamen posset intendi, aut remitti, ut docet S. D. 6. Phys. lect. 7. :) uti patet in speciebus Evcharisticis: atqui intensio tunc non fit per majorem radicationem in subjecto (: quod c. in subjecto quo n. :) cum nullum subjectum adsit; ergo non semper fit per majorem radicationem.

194 Ob. ult. Habitus est magis radicus in potentia quam actus (: secundum modum existendi & durandi c. secundum modum perficendi & actuandi n. :) quia habitus est difficulter mobilis; & tamen actus est intensior habitu, cum actus sit hujus exercitium: ergo major intensio non sumitur à majori radicatione in subjecto.

Quæ de intensiorem diximus, retrogrado ordine de remissione intelligenda sunt.

ARTICULUS III.

Quomodo fiat rarefactio & condensatio?

Prænot. 1. Nomine rarefactionis nil aliud intelligi quam quamdam partium corporis dilatationem; per condensationem verò eorumdem partium compressionem. Unde rarum in concreto definitur: est id, quod sub magnis dimensionibus habet parum materia; Densum autem, quod sub parvis dimensionibus habet multum materia. Hinc

Prænot. 2. Raritatem in abstracto esse affectionem quantitatis, qua minus materia ponitur sub magnis dimensionibus, in quantum illam explicat per majus spatium: densitatem e contra esse affectionem quantitatis, qua multum materia ponitur sub parvis dimensionibus, in quantum ad minus spatium comprimitur. Quo modo utraque fiat, mox resolvetur.

CONCLUSIO I. Rarefactio non fit per ingressum corpusculorum in poros; nec condensatio per eorumdem egressum. Est contra Atomistas.

Probatur: Tum quia corpus rarefactum sic non occuparet majorem locum, sed illa corpuscula duntaxat. Tum quia in Thermetro vitro liquor rarefit, & tamen corpuscula illa non possunt ingredi per poros vitri; siquidem nullos habeat: aliàs subtiliores aquæ particulae effluerent: ergo.

CONCLUSIO II. In rarefactione nulla acquiritur nova quantitas; nec ulla in condensatione amittitur. Est contra Scotistas.

Prob. 1. pars: Non acquiritur nova quantitas, nisi addatur nova pars materia; alias due quantitates essent in eadem parte materia: atqui in rarefactione non additur nova pars materia; secus fieret mutatio substantialis: ergo.

Prob. 2. pars: Quantitas non perit nisi vel per introductionem contrarii, vel per destructionem subjecti: atqui in condensatione neque destruitur subjectum, ut patet; nec contrarium introducit; cum quantitati nihil sit contrarium: ergo.

CONCLUSIO III. Rarefactio & condensatio non terminantur immediate & primario ad novum UBI. Est contra RR.

Probatur: Rarefactio & condensatio per se terminantur ad raritatem & densitatem, qua sine ubicatione & presentia locali haberi possunt, etiam in actu secundo; veluti patet in corpore Christi Evcharistico, in quo sanguis est actu rarior ossibus, & tamen ibi nulla est extensio actualis ad locum: ergo.

CONCLUSIO IV. Rarefactio & condensatio per se primo terminantur ad raritatem & densitatem, vi quarum subjectum disponitur,

ut vel majorem (si fiat rarius) vel minorem (si fiat densius) locum occupare exigat: adeoque sunt motus physici alterativi. Est communis TT. ex S. D. in 4. Phys. t. 84. lect. 14.

203 Prob. 1. pars: Raritas & densitas denominant rarefactionem & condensationem, faciuntque substantiam materialem formaliter raram & densam: ergo rarefactio & condensatio per se primo terminatur ad raritatem & densitatem: Maxime: quia nec ad quantitatem, nec ad ubi terminantur, ex n. 198. & 201.

204 Prob. 2. pars: Raritas & densitas sunt qualitates tertiæ speciei; cum per se, & ratione sui sint accidentia sensibilia, non minus quam frigidum & calidum: ergo rarefactio & condensatio ad illas terminatæ sunt veri motus physici alterativi, seu vera alteratio; siquidem ad tria tantum prædicamenta detur motus, sc. ad quantitatem, qualitatem, & ubi, ex dictis in Phys. Univ. à n. 509.

205 Objicies 1. cont. 1. concl. Ignis, aqua, aër, sunt corpora, aliis facile pervia: ergo illorum rarefactio recte explicatur per ingressum corpusculorum (: n. n. c. & c. Quia non foret vera rarefactio; sicut non est, dum vino aqua admiscetur :) Deinde, quando aqua rarefacta ebullit ad ignem, in bullis illis deprehenditur aër (: tanquam ipsa rarefactio n. tanquam effectus rarefactionis c. Nam in Barometro & thermometro advertimus rarefactionem sine bullis :) ergo.

206 Ob. 2. cont. 2. concl. In rarefactione ponitur novus effectus quantitatis (: entitative n. novus explicative c. :) sc. nova extensio ad locum: ergo quoque poni debet quantitas nova (: explicative c. nova entitative n. Hæc autem explicatio dispositive provenit à raritate: sic major radicatio arboris saltem dispositive provenit à mollitie terræ:)

207 Ob. 3. inst. Raritas & densitas, antequam recipiantur, jam supponunt corpus extensum (: absolute c. cum sua extensione determinata, tanta nempe vel tanta n. :) ergo nec dispositive illa explicatio ab illis provenit. a. p. Non recipiuntur nisi in subjecto habente partes taliter & taliter dilatatas vel compressas (: antecedenter n. concomitanter & per ipsam raritatem ac densitatem tanquam dispositiones, c. :) ergo.

208 Ob. 4. urg. Illa explicatio ab extensione entitativa non distinguitur (: in recto c. in obliquo, vid. quatenus majorem locum connotat, n. :) ergo ad nil novi disponit.

209 Infers: Ergo rarefactio habet extensionem localem pro suo termino (: primario & immediato n. pro termino secundario & mediato c. immediate enim terminatur ad raritatem :) ergo erit motus non ad qualitatem sed quantitatem (: si pro termino haberet extensionem absolute ponendam c. si tantum explicative n. :) Præci-

pue: quia corpus per rarefactionem acquirit aliam ubicationem (: directe & immediate n. indirecte & consecutive c. Sic augmentatio non est motus localis, etsi vivens per illam majorem locum acquirat:)

Ob. 5. In augmentatione acquiritur quantitas entitative nova: ergo & in rarefactione (: n. c. Quia in hac corpus non augetur secundum substantiam; secus enim non esset verum, quod parum materie sit sub magnis dimensionibus :) c. p. Alioquin corpus rarefactum foret in loco velut punctum inflatum (: n. hoc; nam corpus rarefactum fit majus in se saltem explicative:) ergo.

Ob. 6. cont. 4. concl. Si rarefactio ita fit, tunc datur replicatio: atqui hæc non admittitur; ergo. S. M. p. Eadem quantitas erit in duobus locis adæquatis (: absolute n. pro certa dispositione c. :) a. p. Idem palmus sub condensatione tantum unicum palmum loci occupans, post rarefactionem occupat duos (: absolute n. dependenter à diversa dispositione c. Nam idem palmus loci respectu ejusdem entitative quantitatis est adæquatus, si sit condensata; & inadæquatus, si sit rarefacta. Accedit, quod ad replicationem requiratur discontinuatio corporis, quæ in rarefactione non contingit:)

Urges: In condensatione una pars rarefacta constituitur in spatio alterius (: ita ut quælibet ad illud totum spatium extendatur actu n. ita ut quælibet tantum ad partem illius spatii extendatur actu c. :) ergo saltem datur penetratio.

Ob. 7. Si rarefactio dicto modo fit, tunc indistincta (: actu c. potentia & virtualiter n. :) distinguit, quia minima, prius indivisibilia, per illam fiunt divisibilia: & condensatio distincta identificat (: realiter c. identificat virtualiter n. :) sicque in rarefactione dabitur minus minimo (: pro eo statu, in quo est minimum n. pro eo statu, in quo non amplius est minimum c. :) Imo per rarefactionem sic producerentur novæ partes (: quoad entitatem n. novæ quoad explicationem c. :) atqui hæc dici non possunt; ergo.

Ob. 8. & ult. Si quantitas per rarefactionem & condensationem redderetur magis & minus extensa, sequeretur eam suscipere magis & minus (: ratione sui n. ratione raritatis aut densitatis c. :) adeoque terminare alterationem, sicut qualitas (: ratione sui n. ratione raritatis vel densitatis c. Potest itaque rarefactio defini-ri, est alteratio quanti ad raritatem; & condensatio, est alteratio quanti ad densitatem:) atqui hoc est contra doctrinam TT. ergo.

QUÆSTIO III.

DE MIXTIONE, ET MIXTO.

ARTICULUS I.

Quid sit mixtio? Et an elementa formaliter maneant in mixto?

216 **P**rænotandum 1. Mixtionem philosophice sumptam definiri ex *Arist. l. 1. de ort. & inter. c. 10.* communiter, quòd sit *miscibilium*

217 (id est, *elementorum*) alteratorum unio. *Mixtum* autem, quod sit *corpus naturale, ex miscibilibus alteratis, sub nova forma substantiali unitis, genitum.*

218 **Prænot. 2.** Ad mixtionem requiri conditiones quatuor. 1. Ut elementa miscibilia in *unum* locum conveniant. 2. Ut conveniant in *proportionem* debita. 3. Ut sint *divisibilia*. 4. Ut sint ad invicem *activa* & *passiva*.

219 **CONCLUSIO:** Elementa non manent in mixto *formaliter* secundum proprias formas substantiales; sed tantum *virtualiter* secundum primas qualitates refractas & attemperatas. *Ita communior Philosophorum ex Arist. l. 1. de gener. t. 84. & c.*

220 **Prob.** utraque pars: Si forma elementi maneret cum forma mixti, v. g. ranæ, vel esset in *eadem* parte materiæ? & sic *due* formæ substantiales informarent eandem materiam: vel in *diversa*? & sic *mixtio* esset solum juxta-positio; *mixtum* vero *ens* præcisè per *accidens*: ergo elementa manent duntaxat secundum *qualitates*

221 (siquidem aliquo modo manere debeant) *eandem* saltem quoad *speciem*.

222 **Objicies 1.** *Aristoteles l. 1. de gen. c. 10.* docet: *miscibilia in mixtione non corrumpi*: ergo *formaliter* manent (: *q. d. c. si mixtio sit imperfecta* tantum, de qua loquitur *Aristoteles*, c. si sit *perfecta*, de qua loquitur *nostra conclusio n.:*)

223 **Dices:** In mixto manent *proprietates* & *virtutes elementorum* (: in *eadem* gradu n. in gradu *remisso* c. :) ergo & *ipsa* elementa.

224 **Ob. 2.** *Mixtum* resolvitur in *elementa* (: *immediate* n. *per novam* generationem c. :) ergo in illo manent.

225 **Clamas:** Non potest assignari *causa* hujus novæ generationis (: n. hoc; illa enim est *generans*, ex dictis à n. 155. :) ergo.

226 **Ob. 3.** Elementa in mixto tantum *alterantur* (: *alteratione qualicumque* n. *corruptiva* & ad *novam* formam *dispositiva* c. :) ergo non *corrumpuntur*; consequenter manent *formaliter*. a. p. *Mixtio* definitur, quod sit *miscibilium alteratorum unio*, ex n. 216. ergo.

227 **Ob. 4.** Si elementa solum manent *virtualiter* in *mixto*, tunc *hoc* non erit magis *compositum* quam *elementa*; quia quoque haberet *formam*. R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

mam simplicem (: exigentem solum *duas* qualitates, sicut exigit *forma elementi* n. exigentem *omnes* quatuor qualitates, per *alterationem* ad certam *temperiem* redactas, c. :) atqui hoc non *admittitur*; ergo. Vid. P. Renz q. 3. a. 2. *Occasionaliter* hic

Quæres 1. An *simile* possit agere in *aliud* 228 sibi *simile* quoad *speciem* & *gradum* qualitatis, saltem si *dissimilia* sint quoad *raritatem* & *densitatem*? *q. Negative*: quia omne *agens* intendit sibi *assimilare* passum; ergo quando unum est *omnino* alteri *simile* in *virtute* activa; non potest agere in alterum, licet sint *dissimilia* in *raritate* & *densitate*: nam *agens* non conatur sibi *assimilare* passum in *raritate* & *densitate*; sic aqua calida non intendit *rarefacere* manum.

Quæres 2. Utrum *virtus activa* agentis 229 debeat esse *major* quam *resistentia passiva*? *q. De* bere esse *majorem* *resistentiam* passivam, non vero *activam*. *Ratio* primi est: quia hoc ipso 230 quòd *agens* agat in *passum*, ponit in eo aliquem *effectum*, illud *superat*, sibi *que* *subjicit*; ergo. *Ratio* secundi est: quia *agens* agendo *repatitur*, 231 & *passum* reagit, ex n. *seq.* atqui *reagens* non semper habet tantam *virtutem*, quantam habet ipsum *agens*; sic calor ut tria *resolvit* *glaciem* *frigidam* ut septem; ergo.

Quæres 3. An detur *reactio* patientis ad 232 *agens*? *q. Affirmative*: quia ut loquitur S. Th. *quodlibet agens est in actu* (in quantum agit) & in *potentia*, in quantum patitur: sic ferrum candens calefacit aquam, & hæc frigefacit ferrum; ergo. Vid. P. Renz in *Phys. Univ. d. 6. q. 1. a. 2. 3. & 4.*

ARTICULUS II.

An quodlibet elementum immediate converti possit in aliud?

Prænot. 1. Elementa, prout hic sumuntur, 233 definiri, quod sint *corpora simplicia*, in qua *resolvuntur* alia *corpora*; ipsa vero non *resolvuntur* in alia. *Constant* qualitibus quatuor, sc. *calore*, *frigore*, *siccitate*, & *humiditate*; vocantur *prima*, quia *primo* *deserviunt* ad *generationem* *substantialem*. Et quidem *ignis* est *summe calidus*, & in *excellenti* *siccus*: *aër* est *summe humidus* & in *excellenti* *calidus*: *aqua* est *frigida* in *summo*, & *humida* in *excellenti*. *Terra* denique est *summe sicca*, & *excellenter* *frigida*.

Prænot. 2. Ex his 4. *elementis*, si quædam 234 *conveniant* in *aliqua* *qualitate* *prima*, ut *aër* & *aqua*, vocari *symbola*: alia *dissymbola*. Jam *quæritur*, an *elementa* ob has *qualitates contrarias* possint ita *immediate* in se *invicem* *converti*, ut *prius* non debeant *transire* in *aliquod mixtum*?

CONCLUSIO I. Quodlibet elementum 235 *immediate* *converti* potest in quodlibet aliud: F sive

sive sit symbolum sive dissymbolum. Est communis T.T. ex Arist. 2. de gen. t. 24. & S. D. hic.

Probatur: Quia elementa conveniunt in materia, & habent contrarietatem activam ad invicem: ergo unum potest expellere qualitates alterius, & introducere oppositas; sicque disponere, utrefulet immediate forma substantialis, proprie similis.

236 CONCLUSIO II. Per se tamen facilis transmutatur elementum symbolum in symbolum: quam dissymbolum in symbolum. Iterum communis.

237 Prob. 1. pars: In elemento symbolo una tantum qualitas destrui debet; ergo transmutatio fit facilius.

238 Prob. 2. pars: In elemento dissymbolo destrui debet duplex qualitas, ut patet, si aqua convertatur in ignem; ergo transmutatio fit difficilius, per se. Quippe per accidens vel ob densitatem majorem, vel propter minorem activitatem subinde contrarium evenit: de quo n. 244.

239 CONCLUSIO III. Ex duobus elementis dissymbolis, se invicem corrumpentibus, potest generari etiam tertium, ab iis specie distinctum elementum, v. g. ex igne & aqua potest fieri aer. Denuo communis.

Probatur: Si ignis ac aqua concurrant, & ignis in aqua producat calorem, destruendo frigiditatem; aqua autem vicissim producat in igne humiditatem, destruendo siccitatem, tunc in materia illa erunt calor & humiditas; quæ sunt dispositiones ad formam aeris; ergo.

240 Objicies 1. cont. 1. concl. Ut ignis in se convertat aquam, debet utraque qualitas aqua paulatim remitti & expelli, atque contraria qualitates ignis introduci: atqui in illo puncto, in quo omnes quatuor qualitates sunt remissæ & temperatæ generabitur mixtum: quia qualitates attemperatæ sunt dispositio ad mixtum (: R. d. si ab actione & reactione non prohibeantur à debita proportione ad mixtum requisita c. secus, ut hic contingit, eoquod una qualitas semper sit intensior quam mixtum pati possit, n. :) ergo non potest unum elementum dissymbolum converti immediate in aliud, sed prius generabitur mixtum.

241 Urges: Aqua prius recipit dispositionem aeris, antequam perveniat ad temperamentum ignis (: si ignis sit debilis c. si aqua projiciatur in ignem valde magnum & intensum n. tunc enim ignis intensiorem calorem aquæ imprimat, quam generatio aeris exigat :) quia minor calor requiritur ad formam aeris, quam ad formam ignis: ergo elementa dissymbola debent prius converti in magis symbola &c. &c.

242 Ob. 2. cont. 2. concl. Non minus facile duæ qualitates vincuntur à duabus contrariis (: si utraque sit aequaliter activa, seseque adjuvent c.

secus n. :) quam una iterum ab una: atqui quando convertitur elementum dissymbolum, duæ qualitates agunt (: ita tamen ut utraque repatiatur & debilitetur c. secus n. Efficacior enim est calor ignis cum integra siccitate, quam cum siccitate debilitata :) erga æque facile convertitur elementum dissymbolum.

Ob. 3. Quæ minus sunt contraria, minus se destruant (: n. hoc; eoipso enim, quod minus sibi resistent, etiam magis se destruant :) atqui elementa symbola minus sunt contraria; ergo minus se destruant, & consequenter difficilius in se convertuntur.

Ob. 4. urg. Gutta in fornacem projecta facilius convertitur in ignem (: per se n. per accidens, nempe ratione raritatis c. :) quam pugillus terræ: atqui terra est elementum symbolum cum igne, ergo.

Quæres 1. Utrum duæ qualitates contrarie possint simul stare in eodem subjecto? R. Positive, in gradibus remissis: quia qualitates contrarie habent latitudinem in crescendo; ergo etiam in expellendo, consequenter se compatiuntur quamdiu non veniunt ad summum. Num tunc se compatiuntur saltem supernaturaliter? viderint Theologi.

Quæres 2. Quid? & quotuplex sit mixtorum temperamentum? R. 1. Temperamentum est combinatio primarum qualitatum, juxta exigentiam mixti refractarum: adeoque non est aliqua qualitas simplex; secus enim non daretur mutuus conflictus & reactio, cum eadem qualitas non sit sibi contraria.

R. 2. Temperamentum dividitur in uniforme seu ad pondus (in quo omnes quatuor qualitates habent eundem gradum intensiōis) & in difforme seu ad justitiam: quando non omnes qualitates habent eundem gradum intensiōis, sed vel una (& tunc dicitur temperamentum simplex) vel plures (& tunc dicitur compositum) reliquis prædominantur.

R. 3. Temperamentum compositum subdividitur in cholericum (in quo prædominatur calor & siccitas) in sanguineum (in quo excedit calor & humiditas) in phlegmaticum (in quo superat frigus & humiditas) & in melancholicum, in quo excellit frigus & siccitas.

Quæres 3. Utrum in vivente naturaliter possit dari temperamentum ad pondus? & quodnam sit optimum? R. ad 1. Negative: quia vivencia in una parte exigunt calorem, ut in corde; in altera frigus, ut in cerebro &c. ergo.

R. ad 2. Quodlibet temperamentum habere aliquid boni, & aliquid mali admixtum. Interim ad vitam & sanitatem optimum est sanguineum: ad excellentiam ingenii mixtum ex cholera & melancholia &c. de quibus videatur P. Renz hic a. 3. 4. 5. & 6.

Quæres ult. In quo consistat mixtorum & aliarum rerum sympathia & antipathia? R. Illam

lam non esse qualitatem à primis 4. qualitibus & temperamento distinctam, sed esse majorem vel minorem unius cum altero in temperamento convenientiam. Deinde provenire etiam possunt ex aliis causis naturalibus & instinctu naturæ, ut fit in prægnantibus, agno & lupis &c.

ARTICULUS III.

An mixtum semel corruptum possit denuo idem numero reproduci?

254 **P**Rænot. 1. Quòd corruptio (qua mixtum destrui potest) alia si violenta, si mixtum v. g. comburatur: alia naturalis, dum mixta resolvuntur in ea, ex quibus componuntur; quod fit per putrefactionem, quæ definitur: est corruptio proprii & naturalis caloris in humido residens, facta à calore extrinseco ambientis.

255 **P**Rænot. 2. Nullum dubium esse, quin idem reproduci possit quoad speciem; patenter enim videmus ex aqua fieri vaporem, ex vapore nubem, & ex nube denuo aquam. De reproductione itaque quoad numerum quaritur. Loco responsionis sit

256 **CONCLUSIO I.** Nulla res, semel corrupta, potest eadem numero naturaliter reproduci. Ita communis contra Platonem.

Probatur: Unitas numerica rei dependet ab unitate numerica actionis, quæ illam primo produxit; nam dependentia à sua causa fundatur in actione: atqui naturaliter nequit reproduci una eademque numero actio; quia hæc est eadem cum motu & quoad unitatem numericam dependet ab hoc numero tempore, quorum neutrum reproduci potest, ut mox dicetur: ergo nec reproduci potest naturaliter eadem numero res.

257 **CONCLUSIO II.** Supernaturaliter tamen possunt quidem reproduci eadem numero res permanentes: minime autem successivæ. Est de fide quoad 1. part.

258 **Prob. 1. pars:** Eadem numero actio, quæ rem primo produxit, præcontinetur in actione Dei infinita: ergo etiam per hanc poterit produci eadem numero res permanens. Præsertim: quia ex parte rei reproducendæ nulla est implicancia (cum quoad unitatem numericam non dependeat à continuitate durationis, velut res successivæ) nec per destructionem sit posita in difficiliore statu quam fuerit ante, dum erat nihil; ergo.

259 **Prob. 2. pars:** Si res successiva, semel transacta, reproduceretur, tunc esset eadem numero; ut supponitur: & non esset; quia non haberet continuationem durationis, utpote quæ interrupta est per hanc suppositam entis successivi cessationem & destructionem: ergo nec Divinitus potest reproduci.

Objicies 1. cont. 1. concl. Juxta Arist. 8. 260 met. t. 11. si idem agens fuerit, & materia eadem, effectus erit idem (: R. d. a. quoad speciem c. quoad numerum subd. si simul sit eadem numero actio & tempus c. secus n. vid. Phys. Univ. à 336. :) ergo. Deinde: potest totum integrale, v. g. aqua divisa, iterum conjungi, ut redeat eadem numero: ergo potest naturaliter reproduci res corrupta (: R. d. c. corruptione mere separativa & remotiva partium è loco t. corrupta corruptione vere transmutativa n. :))

Ob. 2. Anima hominis separata habet naturalem inclinationem ad corpus (: quantum est ex parte termini c. quantum est ex parte agentis & reunientis n. :) ergo potest naturaliter reuniri. Rursum: nasus, semel resectus & iterum unitus, est idem nasus qui prius (: quoad speciem c. quoad numerum n. Nam anima tantummodo ad illam se extendit sicut ad novas partes alimenti :) item musca mortua, in cinere tepido aut sale posita, iterum reviviscit (: ita ut sit eadem numero n. diversa numero c. :)) ergo.

Ob. 3. cont. 2. concl. Etiam Divinitus nequit redire eadem numero actio (: formaliter c. eadem eminenter n. Nam actio Divina continet creatam, etiam quoad individuationem; unde quoque potest illius terminum attingere :) quia est quid successive: ergo nec Divinitus potest eadem res reproduci. Singulariter: quia unà deberet reproduci idem tempus (: entitative n. connotative c. vid. n. 574. :))

Ob. 4. Divinitus potest reproduci eadem res permanens: ergo & successiva (: n. c. Quia hæc ex parte sui involvit contradictionem :) c. p. Deus habet æqualem potentiam in utramque; ergo.

Ob. 5. Si cras reproduceretur idem numero motus cæli, qui fuit primus in mundi genesis, tunc nulla facta fuisset interruptio motus: ergo. a. p. Cælum nunquam sterisset: ergo nulla fuisset facta interruptio (: n. c. Quia ille primus motus revera cessavit à parte rei esse; & consequenter per sui non esse interruptus est :))

Ob. 6. urg. Primus motus cælestis non coëxistit alicui tempori (: reali c. imaginario n. :) à quo potuisset sumere individuationem: ergo reproductus idem numero extitisset (: nisi mediasset non esse c. secus n. :) a. p. Motus cæli est idem cum tempore, ex Phys. Univ. n. 623. ergo.

DISPUTATIO II. IN LIBROS METEORORUM.

Appendix quædam duorum antecedentium librorum sunt præsentés quatuor, ut ad initium jam prælocuti sumus. Considerat in iis Philosophus *Mixta* in particulari, & quidem *inanimata* tantum (animata assumet in libris de anima) sed tam perfecta quam imperfecta: quæ communiter Meteora, id est, corpora in *sublimi* nata, dicuntur. In horum admiratione tamen diu suspensi non detinebimur, sed materiam omnem Quæstione unica absolvemus.

QUÆSTIO I^{ca} DE METEORIS IN UNIVERSALI ET IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

Quid? & quot sint meteora ignea ac lucida?

267 **P**rænotandum 1. Materiam meteororum proximam esse *exhalationes* terræ, & *vapores* aquæ; ignis enim & aer ob nimiam subtilitatem & puritatem non exhalant, nec vaporent. Forma verò est vel alicujus elementi forma substantialis (in meteoris *imperfectis*, subaudi) vel etiam quandoque alicujus *mixti* in specie; si sit meteorum *perfectum*. Causa efficiens sunt cœli & astra, utpote quæ exhalationes & vapores ab elementis extrahunt, ac in meteora convertunt: *finis* autem bonum mundi sublunaris, præsertim viventium, quia per pluvias v. g. à nimio æstu defenduntur &c.

268 **P**rænot. 2. Tria esse *loca*, in quibus meteora fiunt, nempe terram, aquam, & aërem: nam in *igne* & cœlo nulla meteora fiunt; quia *hic* suâ acrimonia exhalationes consumit; hoc verò, utpote incorruptibile, ab elementari impressione alienum est. Denominantur tamen *ignea*, quia in regione aëris sublimiore & igni *vicinior* generantur.

269 **P**rænot. 3. Meteora *ignea* dici & esse ea, quæ fiunt ex viscosis & siccis exhalationibus in regione aëris calidior, ubi flammam concipiunt, & varias figuras præferunt: meteora *lucida* autem, quæ causantur ex diversa irradiatione lucis refractæ: *Aërea*, quæ proxime accedunt ad naturam aëris, ut turbo, ventus &c. *Aquea*, quæ propter humiditatem naturæ inflammari nequeunt, ut nubes grando &c. *Terræa* denique, quæ propius naturam terræ æmulantur, & in ejus visceribus gignuntur, ut metalla, lapides &c. De prioribus sit

CONCLUSIO I. Meteora ignea sunt 270 sequentia: cometa, tonitru, fulgur, fulmen, columna seu ignis perpendicularis, fax seu flamma, lancea seu jaculum aut titio, capra saltans, draco volans, stella cadens, sidus errans, ignis fatuus, ignis lambens castor, pollux, & helena. Ita communis.

Explicantur præcipua: *Cometa* est exhalatio calida, sicca, & pinguis, in suprema aëris regione accensa, & ad instar stellæ apparens. *Tonitru* est sonus vehemens, ab exhalatione intrinsecam nubem inclusa eamque motu suo disrumpente, causatus. *Fulgur* est illa ipsa exhalatio accensa, è nube erumpens & coruscans. *Fulmen* est exhalatio spirituosâ in nube accensa, & magno impetu ad terram usque excussa: adeoque fulmen non est *lapis*, etsi subinde aliquem secum ferat, sicut bombardâ secum vehit globum. Porro fulmen est triplex, *tenebrans*, *dissipans*, & *urens*. *Stella cadens* est exhalatio in longum extensa, quæ, dum superne accensa flammam ad partes inferiores celerrime propagat, speciem stellæ cadentis exhibet. *Ignis fatuus* est exhalatio viscosa, quæ ob sui gravitatem se non potest in altum tollere, sed accensa agitur ut pluma in aëre, & instar *fatui* hinc inde discurrit. *Castor*, *Pollux*, & *Helena* sunt exhalationes *marine*, quæ accendi & inharere solent, funibus, velis, & antennis navium &c. Meteora *cetera* habent nomen à figura, quam præsentant: de quibus videatur P. Renz *hic d. s. q. 2. a. s. &c.*

CONCLUSIO II. Meteora lucida præcipue sunt ista, galaxia seu via lactea, iris, corona, vorago sive hiatus, parhelium, & virgæ. Communis.

Explicantur: *Galaxia* est ingens multitudo stellarum, quæ ob nimiam distantiam languidiorem lucem ad nos transmittunt, & propterea albicare videntur: sicque in rigore meteororum non est. *Iris* est arcus multicolor in nube rotunda partim translucida, partim opaca, ex radiorum solis oppositi refractione apparens. *Corona* seu halo est circulus soli vel lunæ, ut centro suo, circumfusus. *Vorago* sive hiatus est apparens in nube profunditas. *Parhelium* est sol alius, seu nubes rotunda & splendida, solis imaginem exprimens. *Virgæ* sunt nubes vel radii solares, similitudinem virgarum referentes. *Vid. cit. P. Renz q. 3. per tot.*

ARTICULUS II.

Quid? & quot sint meteora aërea?

CONCLUSIO I. E meteoris aëreis præcipuum est ventus; qui definitur, quod sit exhalatio calida & sicca, in transversum vehementi agitatione commota. Communis.

Probâ-

Probatur, imo patet ex eo, quia mane & vespere, tempore verno & autumnali, spirant frequentiores venti; cum tunc copiosiores è terra exhalationes prodeant; qui per se exsiccant. Vis impulsiva ventorum adscribenda est
 1. Vaporibus & exhalationibus, magno impetu è cavernis terræ erumpentibus, si rarefiant.
 2. Influxui siderum; sicut ei quoque adscribitur fluxus & refluxus maris. Impetuoso repulsi, quo exhalationes dictæ, in media aëris regione addensatæ, deorsum trudentur à nativo illius regionis frigore & nubibus, atque sic nec sursum nec deorsum sed oblique moventur. Numerus ventorum principalium continetur his versibus: *Asper ab axe ruit Boreas, furit Eurus ab ortu: Auster amat medium solem, Zephyrusque cadentem.*

273 **CONCLUSIO II.** Ad meteora aërea revocantur nubes, pluvia, nix, grando, nebula, glacies, ros, pruina, mel, manna & saccharum: *Iterum communis.*

Explicatur: *Nubes* est vapor in media aëris regione spissatus & addensatus: *pluvia* verò est nubes in aquam resoluta, guttatim decedens ob altitudinem casus. *Nix* est nubes, priusquam in aquam solvatur, coagulata & instar farinæ concreta, quæ postea ipso lapsu frangitur in floccos. *Grando* est pluvia, inter cadendum congelata. *Glacies* similiter est pluvia vel aqua concreta frigore ob admixtas exhalationes terrestres. *Nebula* est vapor infimam aëris regionem occupans. *Ros* est vapor tenuis ac subtilis, paulatim à terra elevatus, qui blando noctis frigore condensatus cadit in tenuissimas stillas. *Pruina* est similis vapor, post casum frigore condensatus. *Mel* est vapor quidam seu succus dulcis, subtilibus halitibus, qui è floribus & arboribus exsudant, permixtus. *Manna* est succus melli similis, magis tamen decoctus, ideoque candidior. *Saccharum* denique est vapor seu succus prædulcis, certis cannis seu arundinibus instar medullæ inclusus. De quibus videri poterit P. Renz per totam *questionem 4.*

ARTICULUS III.

Quæ & quot sint meteora aquea? ac *terrea?*


274 **CONCLUSIO I.** Meteoris *aqueis* annumerari queunt motus & falsedo maris: item origo fontium & fluminum: & denique aquarum sapor, odor, & calor. *Ita omnes.*

Explicatur: *Motus* & æstus maris præcipue causatur à luna; quia *hæc* habet singulare dominium in *humida*, ut probant phlegmatici, & hydropici. *Salsedo* autem ejusdem provenit partim ab exhalationibus terrestribus; partim ab ingentibus salis mineris, in profundo
R. P. A. Schnell, Philos. P. III.

latentibus &c. *Origo fontium ac fluminum multorum* provenit ex vaporibus, qui intra sinum terræ concreverunt in aquam: *plurimum* ex pluviis & nivibus liquefactis: *potissimum* denique ex mari &c. *Sapor, odor, & calor* aquarum trahitur ex terra, per quam fluunt, velut germana fide ostendit nostra Germania in fontibus & aquis suis acidulis, thermis &c. *Vid. cit. P. Renz per tot. q. 5.*

CONCLUSIO II. Inter meteora *terrea* 275 veniunt ignis subterraneus, terræ motus, metallum, & lapis. *Rursum omnes.*

Explicatur: *Ignes subterranei* (quos dari ostendunt ignivomi montes, thermæ &c.) probabiliter accenduntur vel per antiperistasin, vel motu & agitatione exhalationum intra colluctantium, & exitum quærentium. *Materia* sive pabulum istorum ignium sunt sulphur & bitumen identidem succrescentia; & insuper à mari per abditos canales subvecta. Hinc montes ignivomi plerumque *mari* adjacent, & nunquam ferocius tumultuantur, quam cum *illud* versus montes impellitur. *Terra motus* est gravis & sensibilis *concussio* terræ causata à spiritibus *intra* terram conclusis, & exire contententibus. Fit frequentius in locis *montosis* (quia ibi sunt plures cavitates) & *maritimis*; quia in his aqua circumstantis spiritus nitrales generat, qui deinde rarefacti terram quassant, & exitu obtento integras sæpe urbes dehiscunt. *Metallum* (è *mineralibus* unum; 276 ad *quæ* etiam spectant cerussa, gypsus &c.) est mixtum perfectum, inanimatum, fusile, & ductile. Generatur è vapore aqueo & viscoso, exhalationi terrestri permixto. Habet septem species præcipuas, vid. aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, ferrum, & Mercurium, quæ septem planetis tribuuntur. *Lapis* est corpus terreum, durum, & friabile, quod nec humido nec calido liquatur. Dividuntur lapides in vulgares, medios, & pretiosos &c. Qui plura de meteoris desiderat, consulere poterit Clariss. nostrum P. Renz, qui uti in omnibus aliis, ita in his præcipue, utili curiositati Lectoris satisfacere studuit.



TRACTATUS III. IN LIBROS DE ANIMA.

DISPUTATIO I. DE ANIMA IN COMMUNI.

TAndem devenimus ad corpus naturale vivens seu mobile *motu vitali*, ceu *ultimam* & perfectissimam corporis naturalis *speciem*.

ciem. Tractat de hac Aristoteles per tres libros, quos inscripsit de *anima*: non quasi in illis præcise ageret de anima *secundum se* (nam agere de substantiis *spiritualibus*, Philosophi non est) sed per respectum *ad corpus*, in quantum nempe est pars & forma corporis *naturalis animati*; siquidem *hoc* duntaxat spectet ad hanc Physicæ partem (quæ communiter *Animastica* dicitur) tanquam objectum ejus adæquatum. Nos de anima agemus per Disputationes duas, in quarum prima considerabimus animam in *communi* per duas Quæstiones: in altera animam in *specie*.

QUÆSTIO I. DE QUIDDITATE ET DIVISIONE ANIMÆ.

ARTICULUS I.

Quid? & quotuplex sit anima in communi?

277 **P** Rænotandum: Dari & existere in rerum natura *animam*, adeo certum esse, ut qui de hoc dubitaret, juxta S. Aug. sine anima esse, censendus sit. Enimvero quid tot *operationes* ab intrinseco procedentes vegetandi, sentiendi, & intelligendi, aliud manifestant, quam dari aliquod *principium* & radicem, à quo procedant? Tale autem *radicale principium* apud omnes est & dicitur *anima*: quam à priori, & in ordine ad esse, quod viventi dat, definit.

278 **CONCLUSIO I.** Anima est *actus primus corporis organici, potentia vitam habentis*. Ita Arist. hic l. 2. c. 1. t. 6. S. D. hic l. 1.

Explicatur: Ly *actus primus* insinuat, animam esse formam *substantialem*: ly *corporis*, esse formam *informantem*, adeoque corpoream ut quo: ly *organici*, animam ad suas operationes exigere *varia organa*, qualia formæ non-viventium haud exigunt: ly *potentia vitam habentis*, denotat organizationem corporis non debere esse *mortuam* velut in cadavere aut statua, sed corpus animatum ita debere esse dispositum, ut aptum sit ad exercendas *operationes vitales*, in quibus *vita secunda* consistit; & in ordine ad hanc anima dicitur esse *in potentia*; nam *vita prima* est ipsa anima. A posteriori & in ordine ad operandum definitur anima: est id, quo *primo vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus*. Ita Arist. l. cit. c. 3. t. 19.

279 **CONCLUSIO II.** Anima in genere dividitur adæquate in *vegetativam, sensitivam, & rationalem*; ac proinde tres solum sunt animæ: consequenter etiam tria tantum animatorum genera. Ita communis ex S. D. hic l. 2. lect. 5.

280 **Prob. 1. pars:** Tot sunt animæ, quot in substantiis creatis sunt *principia radicalia* opera-

tionum *vitalium*; nam per animam intelligitur principium *radicale* vivendi seu se movendi ab intrinseco: atqui tantum tria sunt ejusmodi principia; ergo. m. p. Si principium illud operatur sine *omni cognitione* (uti fit in plantis) est anima *vegetativa*: si cum *aliqua cognitione imperfecta* (ut accidit in brutis) est anima *sensitiva*: si autem cum *cognitione perfecta* & per species spirituales (velut in hominibus) est anima *rationalis*: ergo.

Prob. 2. pars: Tria tantum sunt *abstracta*, 281 seu causæ formales animatorum, sc. tres animæ: ergo etiam tria tantum sunt *concreta* seu animatorum genera.

Objicies I. cont. I. concl. Actus secundus 282 includit minus de *potentialitate* quam actus primus: ergo actus secundus est *perfectior* (: R. d. c. secundum quid c. absolute n. quia non tollit potentialitatem substantialem sed *accidentalem* præcise :) consequenter anima est actus secundus. c. p. Anima in genere viventis est actus perfectissimus: ergo.

Urget: Actus primus *ordinatur* ad secundum 283 tanquam ad suum *finem* (: ultimum n. *intermedium* c. Nam ultimus est ipsa *anima operans* :) ergo hic est perfectior. a. p. Unumquodque est propter suum operari: ergo.

Ob. 2. Anima est actus *materiae* primæ 284 (: *informans* c. *constituens eam* n. :) ergo non *corporis*. a. p. Anima recipitur in materia: ergo est hujus actus (: *informativus* c. *constitutivus*, qualis est respectu *corporis*, n. :)

Ob. 3. Definitum non debet ingredi suam 285 definitionem (: *explicite* c. *implicite* n. Sic *albedo* definitur *actus albi* :) atqui definitionem animæ ingreditur ipsa anima; ergo. m. p. In definitione animæ ponitur *corpus organicum*, quod includit animam; ergo. Adhæc: Anima nunquam cessat ab *omni actu vitali* saltem *cordis*; ergo non est in *potentia* ad vitam *secundam* (: *collective* t. *divisive* n. :)

Ob. 4. Anima rationalis non est actus 286 *corporis*: ergo. a. p. Est actus per se *subsistens* (: *incompletus* tamen c. *completus*, qualis sunt Angeli, n. :) ergo. Præsertim: quia *accidens spirituale*, saltem permanens, non potest recipi in *subjecto corporeo*; ergo multo minus *substantia* (: n. c. Quia hæc, utpote ex se habens propriam existentiam & subsistentiam, non accipit *suum esse* à *subjecto*, velut *accidens* :)

Inst. Anima rationalis *ut talis* non est prin- 287 cipium ullius operationis *corporeæ*: ergo. a. p. Est tantum *intellectiva* & *volitiva* (: *dependenter* tamen à sensibus c. *independenter* n. Imo est principium *risus, fletus* &c. quæ utique sunt operationes *corporeæ* solius hominis :) ergo.

Ob. 5. cont. 2. concl. Membra dividenda 288 non debent se mutuo includere (: *formaliter* c. *semper realiter* n. Alias divisio prædicamen-

camentorum non foret bona:) atqui anima vegetativa & sensitiva (: tantum n. simul. c. :) includuntur in anima rationali; ergo.

289 Ob. 6. Operationes formæ vegetativa non sunt immanentes: ergo nec vitales. a. p. Nutritio & augmentatio transeunt in alimentum, quod alterant: ergo non sunt immanentes (: immanentiâ perfectâ, & ratione sui immediate c. immanentiâ imperfectâ & ratione termini, quem producant, n. :)

290 Deduces 1. In unio vivente tantummodo unicam animam existere (secus enim in eadem materia forent dua formæ substantiales) & quidem in planta vegetativam, in brutis sensitivam, in homine rationalem; quæ utramque priorem continet formaliter (quia tribuit eosdem effectus formales) & eminenter; quia continet eas in gradu eminentiori, & absque limitatione ulla, quam habent in suis inferioribus, eoquod spiritualis sit & toto ordine excedat.

291 Deduces 2. Vivere juxta TT. nil aliud esse, quam seipsum ab intrinseco movere: quia vivens per hoc distinguitur à non-vivente. Gravia & levia (ut præveniam responsioni aa.) moventur quidem ab intrinseca gravitate & levitate: at non active sed passive tantum; quoniam gravitas & levitas sunt principia passiva duntaxat, & virtutes instrumentariæ generanti propria ad movendam active ejusmodi corpora. Vid. Phys. univ. n. 723.

ARTICULUS II.

Utrum in corpore animato præter animam detur etiam forma corporeitatis? aut formæ partiales?

292 **P**ranotandum: Scotistas docere, quod in quolibet vivente præter animam admitti debeat forma corporeitatis, quæ gradum corporis ei conferat. Et RR. quod insuper necessariae sint formæ partiales substantiales, diversæ pro diversitate partium heterogenearum, ut ossis, cerebri &c. quæ formæ corpus reddant organicum. Contra priores sit

293 **CONCLUSIO I.** Nulla in viventibus datur forma corporeitatis ab anima distincta, quæ tribuat gradum corporis, & cui realiter superveniat anima. Est communis TT. ex S. D. 1. p. q. 76. a. 4. in c. cont. Scot.

Probatur: Quia alias anima esset actus primus; ut supponitur: & non esset; quia supponeret alium, sc. formam corporeitatis. Quæ cum sit substantialis, subordinata dici non potest (sic enim non amplius esset actus primus simpliciter; quod tamen est de essentia formæ substantialis) nec incompleta; eoquod post abitum aut obitum formæ se sola constituat totum cadaver. Imo in hac sententia corruptio unius non esset generatio alterius; quia post mortem

maneret sola forma corporeitatis, quæ jam adfuerat in vivente: ergo.

CONCLUSIO II. Corpus animatum non est organicum per formas partiales. Iterum communis TT. ex S. D. cit. cont. RR.

295 Probatur: Quia alioquin anima superveniens materiæ cujuslibet partis, non faceret unum per se cum illa; siquidem pars illa jam completa esset per formam partialem: ergo. Imo plures formæ substantiales, sc. partiales & anima, essent in eadem materia: Et quidem completa; quia etsi forma partialis, brachii v. g. respectu totius corporis sit partialis, respectu materiæ brachii tamen est totalis: præsertim quia ablata per mortem animâ, materia brachii cum sola forma partiali remanet (ut ipsi RR. asserunt) & existere facit.

296 Confirmatur utraque conclusio: Anima tribuit rationem corporis & organici: quia quod dat esse specificum, dat simul esse genericum (sic quod dat esse album, dat etiam esse coloratum; cum hi gradus realiter identificentur) atqui anima viventi dat esse specificum, nempe esse vivens, & esse sensitivum: ergo etiam tribuit ei gradum genericum, esse corpus, esse substantiam ossis, carnis &c. Singulariter: quia anima est virtualiter multiplex, adeoque se sola sufficiens ad omnia membra informanda pro illorum exigentia: sicut unus flatus sufficit ad intonandas diversissimas organi fistulas; ergo.

297 **Objicies 1. cont. 1. concl.** Esse corporis præsupponitur ad animam: ergo non confertur ab anima. a. p. Omne vivens necessario generatur ex corpore præexistente: ergo esse corporis (: n. d. c. idem, quod retinetur cum anima, n. diversum & destruendum per adventum animæ c. :) præsupponitur ad animam. Deinde: in planta v. g. supervenit gradui corporis gradus viventis, quin hic adveniat per accidens: ergo pariter &c. (: n. c. Quia gradus metaphysici non superveniunt realiter physice, velut bene notat P. Ruedorffer hic n. 26. :)

298 **Insistes:** Vivens constituitur ex corpore, & anima, ceu partibus physicis: ergo corpus & anima debent inter se realiter distingui (: adæquate n. inadæquate & per modum includentis & inclusi c. Nam anima differt à corpore, carne &c. tanquam actus & forma constituens à suo actuato, & effectu formali à se constituto:) consequenter esse corporis non habetur ab anima, sed à forma corporeitatis.

299 **Ob. 2.** Anima est spiritualis & indivisibilis; ergo non potest dare esse corporeum & divisibile (: nisi esset corporea & divisibilis ut quo & eminenter c. secus n. :) sicut albedo non potest facere nigrum (: c. quia nigredinem nec eminenter, nec ut quo continet :)

300 **Dices:** Etiam forma materialis est tantum corporea ut quo (: eminenter, ita ut in suo esse non dependeat à materia n. entitative, & ut de-

pendeat c. : ergo non amplius erit discrimen inter formam spiritualem & materialem. Imo taliter gradus corporis non posset perfecte præscindi à gradu rationalitatis in anima (: quatenus hac est forma physica c. quatenus est forma metaphysica n. :) ergo.

301 Ob. 3. Juxta SS. PP. idem numero corpus Christi, quod est vivum in cœlis, fuit per triduum mortis in sepulchro (: idem quoad unitatem suppositi c. quoad unitatem formæ n. quia in illo triduo habuit formam cadavericam : adeoque non remansit idem numero corpus formaliter :) ergo gradus corporis non provenit ab anima; cum in illo triduo fuerit separata.

302 Instas: Christus defuncto non amplius habet formam cadavericam; ergo illam nunquam habuit. c. p. Quod semel assumpsit (: ex intentione primaria c. ex intentione tantum secundaria n. Sic multas partes materia vi nutritionis assumpsit, quas tamen successu temporis per expirationem, sudorem, effusionem sanguinis dimisit :) nunquam dimisit : ergo. Vid. tr. de Incarn. n. 264.

303 Infers: Ergo Verbum potuisset dici cadaver (: n. hoc; quia à forma transeunte non desumitur denominatio; quemadmodum raptus transeuntes ad visionem beatificam non dicitur simpliciter beatus :) Imo reliquis Sanctorum nullus deberetur honor (: nisi adesset eadem adhuc materia, & quidem reunienda c. secus n. :) si in illis non sit ea forma, quæ fuit in vivis; ergo. Vid. cit. tr. n. 664.

304 Ob. 4. Juxta concil. Trid. vi verborum in consecratione panis ponitur Corpus Christi, & non anima: ergo Corpus Christi (: mortuum c. vivum n. :) ibi constituitur per animam sed per formam corporeitatis. Vid. Theol. Schol. P. VII. à n. 589.

305 Ob. 5. cont. 2. concl. In animali caro, ossa, cerebrum, specie differunt (: essentiali n. accidentali c. quia habent eandem animam :) ac substantialiter, quoniam habent diversas proprietates : ergo debent habere diversas formas (: diversitate virtuali c. reali n. Quippe eadem realiter anima, quia est virtualiter multiplex, illas diversas proprietates conferre potest :) consequenter proprias & partiales.

306 Ob. 6. Ad animam præsupponitur organizatio (: eadem realiter, quæ est cum anima n. organizatio alia & diversa c. :) ergo non confertur ab anima. a. p. Anima non introducit in corpus, nisi sit organizatum (: organizatione retinenda n. excludenda c. :) ergo. Speciatim: quia in corpore mortuo est eadem (: specie c. numero n. :) organizatio, quæ fuit in vivo: ergo.

307 Ob. 7. urgendo: Non potest assignari causa illius novæ organizationis & formæ cadavericæ, ergo. a. p. Causa illa non est cœlum; quia turpe est fugere ad causas universales: nec oc-

cidens; quia est solummodo causa per accidens, sicuti removens prohibens: nec generans: quia generans non intendit cadaver (: per se primo c. per se secundo n. Quippe quia generans mediante semine, ceu instrumento, dat dispositiones ad formam viventis, dat etiam dispositiones ad formam cadavericam; cum illæ has includant: quemadmodum ipsa anima includit formas partium: consequenter est causa formæ cadavericæ :) ergo.

Ob. 8. premendo: Non datur forma cadaverica: ergo generans non est illius causa. a. p. In uno corpore mortuo vel esset una? & sic si caput ascindatur, generabitur nova forma in capite abscisso (: si illa una forma non foret divisibilis, instar aliarum formarum imperfectarum, c. si sit divisibilis, uti est, n. :) Vel plures? & sic darentur formæ partiales (: recentioritica, quarum una compleatur per alteram supervenientem, n. secus c. :) in eodem composito; ergo.

ARTICULUS III.

An in eodem vivente detur successio animarum?

PRenotandum: Statum questionis esse, num 309 fœtus in utero materno, dum vegetari incipit, statim informetur animam rationali? an verò vegetativa tantum, itaut deinde huic succedat anima sensitiva; & demum, his expulsis, anima rationalis? Responsum dabit sequens

CONCLUSIO: Non datur successio animarum. Ita TT. contra TT. 310

Prob. 1. Si daretur talis successio, tunc 311 homo prius esset planta, deinde brutum, denique homo; quia haberet animam vegetativam & sensitivam tantum; consequenter esset planta, aut brutum, & quidem formaliter; siquidem haberet formam plantæ (sicut, quod habet formam albi, est formaliter album) & formam bruti: quæ etsi ordinentur ad animam rationalem, tamen constituunt plantam & brutum formaliter; sic etsi anima herbæ in nutritione ordinetur ad animam bruti, tamen anima herbæ constituit herbam seu plantam formaliter: atqui homo non potest prius esse planta & brutum; quia aliàs generans esset pater bruti; siquidem, supposita successione animarum anima sensitiva deberet intendit tanquam forma rationali præsupposita, & insuper fieret in similitudinem generantis saltem vitaliter, & inchoative (quod in fœtu irregulari non evenit: de quo n. 317.) ergo.

Prob. 2. Ut anima rationalis informare 312 queat fœtum, sufficit, si adsint organa principalia, ut sunt cor, cerebrum, & hepar humanum, quæ juxta assertionem Medicorum non adeo

adeo longe à conceptione foetus perficiuntur: ergo non opus est *successione* animarum, aut *perfectione* reliquorum organorum *minus* principalium, quibus etiam caret recens natus canis aut ursus. Sic in morte hominis non succedit animæ rationali *sensitiva*, licet prius deficient organa pro operationibus intellectivis &c.

313 Objicies 1: Authoritates plures S. D. & Arist. nobis contrarias: ergo (: *q. n. c. & c.* Quia loquuntur tantum de *successione operationum* animæ, non ipsarum *animarum*: secus anima rationalis homini infunderetur primum post septem annos:)

314 Ob. 2. *Anima rationalis* foeti humano primum infunditur circa 30. diem à conceptione: atqui foetus humanus ante 30. diem jam *vegetatur*; quia *crefcit* (: *vitaliter*, id est, per intus-susceptionem alimenti, n. *crefcit non vitaliter* seu per fermentationem seminis, sicut pullus in ovo *crefcit* absque receptione alimenti *extrinseci*, c. :) ergo prius habet animam vegetativam quam rationalem; consequenter &c. &c.

315 Ob. 3. Foetus aliqui, aciculis puncti, ante 30. diem se *moverunt*; ergo habuerunt animam. Subst. sed non habuerunt animam *rationalem*: quia hæc non infunditur nisi in corpus *organizatum* (: quoad organa *principalia* c. *minus* principalia n. Quod si foetus humanus careat organizatione principali, tunc vel se non movebit; aut erit *irregularis*;) ergo habuerunt sensitivam tantum.

316 Dices: Ecclesiaprohibet foetus illos baptizari (: si *nullam* prorsus organizationem habeant c. si aliquam habeant saltem quoad partes *principales* n. secus Paulus V. non iussisset *hos* baptizari *absolute*;) ergo supponit, quod *nullam* habeat animam.

317 Ob. 4. Deprehensi sunt foetus abortivi, in quibus *nulla* prorsus organizatio deprehensa est; & tamen, aciculis puncti, se contraxerunt & *moverunt* (: t. quia si *nulla* prorsus organizatio ibi fuisset, tunc nec anima *sensitiva* in illis foetibus potuisset subsistere;) ergo saltem in his foetibus non fuit anima rationalis, sed tantum *sensitiva* (: ita tamen ut anima rationalis nunquam fuisset *secura* c. secus n. fuerunt enim foetus *irregulares*, animæ rationalis, ob indispositionem, incapaces;) ergo datur successio.

318 Ob. 5. SS. Canones supponunt, *occedi* posse foetum ante infusionem animæ rationalis (: *ocessione negativa* seu vitæ *impeditiva* c. *positiva*, & vitæ *ablativa* n. :) ergo foetus humani habent aliquam animam ante rationalem. Et hinc foemina, ante 30. diem abortum procurantes, non puniuntur ut homicidæ (: quia in dubio est *favendum* reo c. secus n. :) ergo. Vid. P. Renz *hic* q. 2. a. 3.

QUÆSTIO II.

DE PROPRIETATIBUS ANIMÆ

ARTICULUS I

Quenam partes viventis informantur ab anima.

PRænotandum: Certum esse, quod plures partes, & illæ præsertim informantur ab anima, quæ pertinent ad primariam corporis organici constitutionem & integritatem, ut sunt *caput, cor, viscera* &c. quia in *his* omnibus operationes vitæ deprehenduntur. Proinde de *minus* necessariis, quæ nempe tantum spectant vel ad corporis *conservationem* (ut sanguis & alii tres humores, sc. pituita, atra, & flava bilis) vel ad ejus *commoditatem* (ut dentes) vel ad *ornatum* (ut capilli & ungues) vel ad *alterius* individui *generationem* & nutritionem (ut semen & lac) remanet dubium; &

CONCLUSIO I. Sanguis non vivit, idem est de tribus humoribus; ac de semine & lacte. Ita TT. contra TT. 320

Prob. 1. Sanguis non est *continuus* carni, prout loquitur Aristot. l. 2. de part. anim. c. 3. siquidem liquidum cum *solido* continuari nequeat, etiam per *fibras*: quoniam *fibra* (si sint *solida*) cum sanguine *liquido* continuari non poterunt; si vero sint *fluida*, tunc cum *venis solidis* continuari iterum nequibunt; ergo non vivit sanguis. 321

Prob. 2. Sanguis est *alimentum* viventis, velut expresse docet Aristot. l. 4. de part. anim. c. 4. secus enim non amplius deberet *converti* in substantiam aliti: ergo non vivit. Nec est ad rem commune effugium aa. quod hæc vera quidem sint de sanguine *nutrimentali*; non autem de *naturali*. Nam sanguines *hi* tantum differunt *accidentaliter*; ergo si ille non vivit, nec iste vivet. Imo si sanguis *naturalis* viveret, tunc per incarnationem Verbi aliqua *pars* corporis B. V. fuisset *diminuta*, contra S. D. Denique sanguis etiam *naturalis* & purissimus est nutrimentum cerebri &c. ergo quoque non vivit. Vid. tr. de Incarn. à n. 255. 322

CONCLUSIO II. Dentes, capilli, & ungues informantur anima totius, & vivunt. Ita communior. 323

Probatur: Partes hæc sunt *continua*, & per venulas corpori unitæ, certosque canaliculos habent, quibus alimentum attrahant (uti apparet in crinium radice, & ope mycroscopii videri potest) & insuper per intro-susceptionem augentur; ergo vivunt.

Objicies 1. cont. 1. concl. S. Scriptura Levit. 17. dicit: *anima* carnis in sanguine (: *q. d. a. causaliter* & conservative c. formaliter & *informative* n. :) & Aristoteles l. 3. *hiff.* 324

6. 19. ait sanguis (: manens sanguis n. transiens ut carnem c. :) *animatur & fervet*; ergo sanguis vivit.
- 326 **Infers**: Ergo etiam *aër & cibus* vivent, *conservativé* saltem (: si essent aliquid *permanenter* existens in animali, & pars *integralis* secundaria, uti est sanguis, c. secus n. :)
- 327 **Ob. 2.** Sanguis est *vera* pars (: actualis & *continua* n. potentialis & *discontinua* c. :) corporis; cum pertineat ad ejus integritatem: ergo vivit formaliter. **Præcipue**: quia est magis necessarius quam capilli; ergo (: n. c. Alias etiam *aër* viveret; quia est magis necessarius quam capilli :)
- 328 **Ob. 3.** Sanguis *movetur* (: ratione principii sibi *intrinsici* n. *extrinsici* sc. per impulsum receptum à partibus animatis, c. :) per circulationem; item *ablato* sanguine (: ceu parte *conservativa* c. animata n. alias etiam *cibus* viveret :) animal moritur; ergo.
- 329 **Ob. 4.** Si sanguis non vivit, tunc Verbum Divinum assumpsit *duas* naturas (: quarum una ad alteram *ordinatur* c. secus n. :) unam *animatam*; alteram *inanimatam*: Imo in eodem composito (: secundum *eandem* partem materiæ n. secundum *diversam*, & *discontinnam*, ut est sanguis, c. :) essent *plures* formæ substantiales: atqui hoc dici non potest; ergo (: Retorq. in sententia aa. sanguis *nutrimentalis* non vivit; ergo :) *Vid. tr. de Incarn. à n. 257.*
- 330 **Ob. 5. cont. 2. concl.** *Dentes* sua sponte *excidunt* (: ex *natura* sua n. *vicio* humoris *nutrimentalis* c. :) Item *capilli* magis crescunt in *senectute* (: *per se* n. per accidens ex *abundantia* humorum *terreorum* c. :) ergo nec dentes, nec capilli vivunt.
- 331 **Ob. 6.** *Excrementa* corporis viventis non vivunt: atqui *capilli & dentes* sunt excrementa (: proprie, velut *fudor & saliva*, n. improprie & tantum gramaticaliter, quatenus *extra* corpus *crescunt*, c. :) ergo Maxime: quia capilli etiam *post* mortem crescunt (per intus-fuscptionem n. per detectionem solum & apparentiam c. :) ergo. *Vid. P. Renz hic q. 3. a. 1.*
- 333 **Quæres 1.** An sicut *partes* in eodem vivente sunt divisibiles, ita etiam *anima* divisibilis sit? **R.** Animas plantarum & animalium *imperfectorum* esse quidem divisibiles (quia hæc anime paucissimis *organis* indigent, que adhuc inveniunt in *partibus* sui corporis) non tamen animas animalium *perfectorum* quia in parte non inveniunt *debita* organa, quæ plura esse debent; adeoque *subjectum* suum respiciunt *totum* & *totaliter*.
- 334 **Nec** obest, quod sunt materiales: quia non sunt *talis* ut quod, sed præcise *ut quo*. Si subinde pars separata adhuc moveatur, id provenit à spiritibus vitalibus, prius valde commotis. *Vid. cit. P. Renz a. 2.*
- Quæres 2.** Utrum anima ejusdem speciei 335 fit alterâ perfectior perfectione *substantiali* individuali? **R.** Affirmative: quia una ordinatur ad perfectius *substantialiter* corpus ratione *melioris* temperamentum quam altera; nam actus debet proportionari suæ potentie: ergo sicut ex ratione *specificâ* corporis oritur diversitas *specificâ* animarum *substantialis*, ita ex diversitate *individuali* corporum orietur diversitas *numerica* seu *individualis* *substantialis*; secus Christus & B. V. non habuissent *substantialiter* meliorem animam quam Judas. Quippe et si 336 *substantia* non suscipiat magis & minus quoad prædicata *essentialia absolute*, suscipit tamen magis & minus quoad *prædicata* *essentialia individualia*; præsertim si comparentur ad *alia* *individua*. Et licet anima Petri & Pauli sint *ejus-* 337 *dem* speciei; non tamen est ejusdem *substantialiter individualitatis*: quia hæc desumitur ab *ordine* ad hoc numero corpus; quod subinde est *substantialiter* perfectius, si nempe meliori temperamento instructum sit. Nec ex hoc sequitur, quod *individuation* sit prædicatum *specificum*: quia prædicata *specificâ* sunt illa tantum, quæ alicui conveniunt in *statu* essentiali. *Vid. P. Hueber hic n. 162. Renz a. 3. &c.*

ARTICULUS II.

Num potentie anime realiter distinguantur ab anima? Et à quo specificentur?

PRÆNOT. *Potentiam* anime esse principium 338 *proximum* operandi vitaliter. Est quintuplex, *vegetativa, sensitiva, locomotiva, appetitiva, & intellectiva*. *Vegetativa* subdividitur in *nutritivam, augmentativam, & generativam*. *Sensitiva* in *internam, & externam*: *externa* in *visivam, auditivam &c.* *Interna* in *sensum communem, phantasiam, æstimatoriam &c.* De quibus à n. 352. Interim sit

CONCLUSIO I. *Potentie anime* sunt 339 *realiter distincte* ab anima. *Ita TT. omnes ex S. D. 1. p. q. 77. a. 1. in c. contra Scot. & RR.*

Prob. 1. Nulla *substantia* est *immediate* 340 *operativa*, ex *Phys. univ. à n. 392.* atqui si *potentie* non distinguerentur ab *anima*, tunc *hec*, ceu *substantia*, esset *immediate* *operativa*; ergo.

Prob. 2. Si *potentie* non distinguerentur 341 *ab anima*, tunc neque distinguerentur *inter se* (quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se) sicque *videre* possem per *aurem* &c. ergo.

CONCLUSIO II. *Potentie anime* spe- 342 *cificantur immediate* ab actibus, & *mediate* ab objectis. *Est communis.*

Pro-

Probatur: Potentia animæ per se dicunt ordinem *intrinsicum* & transcendentalem *immediate* ad *actus*, mediate autem, vid. *mediantibus* his, ad objecta: ergo ab his specificantur.

343 Objicies 1. cont. 1. concl. Ipsa anima est principium operandi (: *q. d. a. radicale c. proximum n. :*) ut patet ex ejus definitione; ergo ipsa est potentia; consequenter &c. Vid. *Phys. cit. n. 302.*

344 Ob. 2. cont. 2. concl. Etiam habitus specificantur ab *actibus*, & objectis (: eo modo quo potentia, nempe sub ratione *universali*, n. modo *diverso* & sub ratione *particulari*, rationem universalem contrahente, c. :) ergo ab his non specificantur potentia. c. p. Habitus & potentia distinguuntur specie, ex *Log. n. 831.* ergo.

345 Ob. 3. *Actus* sunt effectus potentiarum: ergo has non possunt specificare (: ut effectus sunt c. ut *finis* sunt n. :) c. p. Quia effectus est posterior suâ causâ (: in ratione effectus c. in ratione *finis* n. :) ergo.

346 Ob. 4. Objecta sæpe sunt diversa specie (: in esse *entis* c. in esse *objecti* n. :) & potentia extrinseca: ergo non possunt specificare (: *intrinsicæ* c. extrinsece n. :)

347 Ob. 5. urg. Potentia visiva *hominis* & equi specie differunt, etsi habeant *idem* objectum formale: ergo ab objecto non potest sumi unitas specifica. a. p. Sunt specie diversarum *naturarum* proprietates (: ita ut consequantur gradum *specificum* n. *genericum* duntaxat c. Sic *animalitas* hominis non distinguitur specie ab animalitate equi :) ergo.

348 Ob. 6. Idem intellectus elicit actus *distintos* specie. (: *materiali* c. *formali* n. :) v. g. scientiæ & opinionis &c. ergo ab his non sumit speciem.

349 Deduces: Distinctionem *numericam* potentiarum animæ desumi à *subjecto*: quia sunt accidentia Vid. n. 562. Porro *subjectum* potentiarum *spiritualium* est ipsa anima; siquidem ista sola (utpote per se subsistens) iis sit proportionata, & alioquin pereunte homine etiam perirent potentia spirituales: *Subjectum* potentiarum *materialium* autem est totum *compositum*: quia hoc est *subjectum* omnium accidentium *materialium*. Dum *totus* homo denominatur intelligens & volens, fit per communicationem tantum proprii principii sc. animæ. Potentia materiales autem, eo ipso quod organicae sint, non fluunt ab anima nisi tanquam à principio quo & dependenter à corpore; in quo proinde *subjectari* debent.

DISPUTATIO II. DE ANIMA IN SPECIE.

Discussis iis, quæ pertinent ad animam in communi, nunc descendimus ad ea, quæ concernunt animam in specie. Est hæc triplex sc. vegetativa, sensitiva, & rationalis. Triplex proinde Quæstio quoque absolvet præsentem Animasticam.

QUÆSTIO I. DE ANIMA VEGETATIVA.

ARTICULUS I.

Quid sit anima vegetativa? & quas potentias habeat?

CONCLUSIO I. Anima vegetativa recte 351
definitur, quod sit *actus corporis organici*, *potentiâ vitam vegetativam habentis*. Ita communis.

Sensus est: quod sit principium *radicale* nutriendi, augendi & generandi. Cætera constant ex dictis n. 278.

CONCLUSIO II. Potentia vegetativa 352
principales sunt tres, nempe *nutritiva*, *augmentativa*, & *generativa*: quibus inserviunt quatuor potentia ministeriales, sc. *attractiva*, *retentiva*, *concoctiva*, & *expulsiva*. Iterum *communis*, ab *experientia*.

Prob. 1. pars: Ab *actibus*, quibus vegetans 353
se movet, debent desumi *potentia* vegetativæ: atqui tales actus sunt tres; vel enim se movet, ut *conserveatur*? & habetur actus nutritionis: vel ut *augeatur*? & adest augmentatio: vel ut *generet* sibi simile? & est generatio: ergo.

Prob. 2. pars: Potentia ministeriales sunt 354
illa, quæ in suis actibus *subordinantur* functionibus potentiarum principalium: atqui tales potentia sunt quatuor sc. 1. *attractiva*, quæ alimentum ad partes superiores attrahat. 2. *Retentiva*, quæ alimentum retineat. 3. *Concoctiva*, quæ concoquat. 4. Demum *expulsiva*, quæ partes alimenti noxias expellat: ergo.

CONCLUSIO III. In corporibus per 355
fectioribus dantur adhuc alia tres potentia, quas *vitales* vocant, nimirum virtus formativa *spirituum*, vis *respirativa*, & *pulsativa*. Rursum *omnes*.

Explicatur: Potentia formativa elaborat *spiritus*, ad actiones *vitales* necessarios: *Respirativa* aërem ad refrigerationem attrahit, & emit: *Pulsativa* sanguinem & spiritus per varias corporis partes propellit per cordis dilatationem

(quæ diastole dicitur) & constrictionem, quæ systole appellatur; ergo.

356 Quæres 1. Utrum potentia nutritiva, augmentativa, & generativa à calore naturali realiter distinguantur? R. Affirmative: quia quædam viventia nutriuntur, augentur, & generant efficacissime, in quibus tamen nullus aut valde exiguus calor est, ut videmus in arboribus, piscibus &c. ergo.

357 Quæres 2. Quomodo dictæ potentia inter se distinguantur? R. 1. Nutritiva & augmentativa non distinguuntur realiter: quia quod producit partes substantiæ (quod facit nutritio) etiam producit plures partes quantitatis (quod facit augmentatio) siquidem substantia non ac-

358 quiratur sine quantitate; ergo. Nec obstat, quòd vivens in annis consistentiæ non amplius augeatur secundum altitudinem: sufficit enim quod augeatur secundum crassitiem. Quod si neque hoc fiat, est prorsus per accidens, nempe vel ob defectum caloris naturalis, vel ob defectum nutrimenti. Sicque potentia augmentativa semper manet saltem quoad entitatem & rectum, etsi separetur quoad denominationem & obliquum.

359 R. 2. Nihilominus potentia nutritiva & augmentativa distinguuntur realiter à potentia generativa: quia subjectis differunt; nam potentia generativa residet in certa tantum corporis parte, semini vim plasticam imprimendo, quod potentia nutritiva & augmentativa non facit; secus membra, semel relecta, renasci faceret. Vid. P. Renz hic a. 2. 3. & 4.

ARTICULUS II.

Quid sit nutritio? augmentatio? & generatio?

360 P Rænotandum: Quia in priori articulo actum fuit de potentiis animæ vegetativæ, hic jam agi de illarum actibus. Quapropter ponitur

361 CONCLUSIO I. Nutritio est conversio alimenti intus- suscepti in substantiam aliti, ad restaurationem partium deperditarum. Ita quoad rem omnes.

Explicatur: Particulæ, conversio alimenti in substantiam aliti, obtinent locum generis; reliquæ locum differentia: nam ignis v. g. non attrahit pabulum intra se modo vitali, sed duntaxat in illud agit actione transeunte; ergo.

362 Fit autem nutritio per alterationem cibi, quæ contingit quatuor concoctionibus: prima fit in ore per masticationem; secunda in hepate per chylum; tertia in hepate per chymum; quarta demum in corde & venis capillaribus, ubi sanguis in spiritus vitales (qui ad functiones vegetativas) & animales (qui ad sensationes necessarii sunt) subtilizatur; quorum ope

denique in carnem, nervos, & ossa, convertitur.

CONCLUSIO II. Augmentatio est motus viventis à minori quantitate ad majorem per additionem partium, factus ab anima vi caloris naturalis. Ita communius Philosophi.

Explicatur: Particulæ motus viventis indicant, sola viventia augeri proprie, vid. per introductionem. A minori quantitate ad majorem distinguunt augmentationem ab aliis motibus. Per additionem partium autem à rarefactione: Particulæ ultimæ insinuant causam efficientem tam principalem quam instrumentalem; ergo. Caterum augmentatio realiter non distinguitur ab alteratione prævia alimenti: quia non distinguitur à nutritione, ex n. 357. quæ, ceu generatio substantialis saltem partialis, non distinguitur ab alteratione prævia, ex n. 117.

CONCLUSIO III. Generatio viventis, est processio sive origo viventis à vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ, vi processionis formaliter. Iterum communis.

Explicatur: Dicitur 1. processio sive origo, in quo generatio creata cum increata convenit. 2. Viventis, ut excludantur generationes non-viventium. 3. A vivente conjuncto, id est, generans debet in genito aliquid relinquere, & sic illi conjungi. 4. In similitudinem naturæ, quia genitum debet esse generanti quoad naturam simile vel individualiter (ut fit in Divinis) vel saltem specificè, ut fit in creatis. 5. Vi processionis formaliter; hoc est, genitum debet esse simile vi processionis; hinc processio Spiritus S. in Divinis non est generatio, ex tr. de Deo à n. 736.

Quæres 1. Num omnia viventia necesse habeant nutriri, & quidem toto vitæ tempore? R. Quod sic: quia vita maxime consistit in temperie humidi & calidi; quod utrumque successu temporis absumitur, ideoque per alimentum reparari debet. Ursi, glyres, & similia animalia, tota hyeme nil comedentia, nutriuntur ab alimento interno.

Quæres 2. Quale debeat esse alimentum? R. Alimentum remotum (nam proximum in animalibus esse sanguinem, in plantis aliquem succum; jam diximus) debet esse 1. substantia corporea, propter proportionem, qua in substantiam aliti converti debet. 2. Debet esse substantia mixta; nam elementa pura activitatem viventis excedunt. 3. Debet esse mixtum venti simile in calido & humido; hinc alimentum nequit esse ferrum &c.

Quæres 3. Quid sit fames & sitis? R. Fames est appetitus calidi & sicci: sitis autem est appetitus frigidi & humidi. Nam viventia constant ex calido & frigido, humido & sicco; hinc ad ista restauranda data est à natura fames & sitis, definitæ ab Arist. per causam finalem. Formaliter definiri possunt: fames est dolor causatus

ex divisione ventriculi, excitans appetentiam cibi. Sitis est similis dolor, excitans appetentiam potus.

370 Quæres 4. An omnes partes viventis nutriantur & augeantur? R. Affirmative: quia virtus nutritiva & augmentativa est in omni parte viventis: ergo etiam ibi producit suum effectum; saltem si partes viventis sint integrales: nam partes minutissimas, quæ inter poros interjacent, non nutriri & augeri, docet P. Renz hic n. 3.

371 Quæres ult. Utrum Adamus non possit dici à Deo generatus ex limo? aut Eva ex costa Adami? R. Negative: quia nullo modo conjungebantur Deo, neque ab eo procedebant in similitudinem naturæ. Hinc etiam pediculi & pulices, qui ex corpore viventis nascuntur, non generantur vera generatione viventium. Similiter nec gallina, ovis alienis incubans & ea excludens, vere generat pullos: quia licet producat sibi simile, nihilominus non est principium productivum conjunctum sed dispositivum præcisè. Vid. P. Renz q. 2. 3. & 4.

QUÆSTIO II.

DE ANIMA SENSITIVA.

ARTICULUS I.

Quid sit anima sensitiva? & quot, quasque potentias habeat?

372 CONCLUSIO I. Anima sensitiva bene definitur: est actus corporis organici, potentia vitam sensitivam habentis. Ita omnes. Sensus est: quod anima sensitiva sit principium radicale sentiendi.

373 CONCLUSIO II. Potentiæ animæ sensitivæ generales sunt tres, sc. cognoscitiva, appetitiva, & locomotiva: cognoscitiva-sensitiva, (de rationali agetur à n. 401) quæ vulgo etiam sensus dicitur, subdividitur in sensum internum & externum; quos iterum subdivident conclusiones sequentes.

Explicatur: Potentia cognoscitiva est sensus animalis, quo mediante objecta materialia aut sensibilia cognoscit. Appetitiva est sensus animalis, quo inclinatur in bonum sensibile, sensu cognitum: estque vel concupiscibilis (si versatur circa bonum delectabile absolute) vel irascibilis, dum versatur circa bonum arduum. Potentia locomotiva est facultas animæ sensitivæ, qua anima localiter movetur, ut vel salutaria & necessaria quærat, vel noxia fugiat. Sensus ex-
R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

ternus est, qui sua organa exterius habet, & objecta, extra sentientem posita, immediate percipit: internus e diverso est, qui subjicitur in interioribus organis, quique res externas non percipit præcisè ut exterius propositas sed in interne repræsentatas.

CONCLUSIO III. Sensus externi in animalibus perfectis sunt quinque, nempe visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. Ita omnes ex S. D. 1. p. q. 78. a. 3.

Probatur: Quia tot sunt objecta sensibilia, formaliter diversa; ergo. Porro visus est potentia perceptiva lucidi colorati. Dicitur communiter oculus, qui constat tribus humoribus, quinque tunicis, septem musculis, & duobus nervis. Ejus actus est visio, quæ probabilius fit in humore crystallino. Objectum visionis est lux (quæ est actus perspicui, quatenus perspicuum est) & color (qui est qualitas, ortum suum remote habens ex mixtione quatuor qualitatum; proxime vero ex mixtione opaci & diaphani) quia ratione sui terminant visionem &c. Auditus est potentia perceptiva soni; adeoque ejus objectum est sonus (qui est qualitas sensibilis, orta ex percussione & crispatione corporis sonori) cujus medium est aër & aqua, per quod propagatur successive tantum; hinc citius videmus ictum quam sonum. Odoratus est potentia perceptiva odoris; sicque hic est objectum illius. Definitur odor, quod sit qualitas secunda, ex primis qualitatibus resultans, prædominante sicco & calido, humidum decoquente. Medium ejus est tam aër quam aqua: propagatur tam realiter per evaporationem, quam intentionaliter per species; alias in aquis (quas evaporatio subire non potest) odor non sentiretur à piscibus. Gustus est potentia perceptiva saporis: qui est qualitas secunda ex primis resultans, prædominante humido & calido. Subjicitur in nervis gustatorii gulæ & linguæ præcipue. Non habet medium externum (quia sapor immediate applicare debet) bene tamen internum, quod est caro linguæ & palati &c. Tactus denique est potentia perceptiva qualitatum tangibilium: quæ mediante carne, ceu medio intrinseco, est proprium ipsius objectum. Residet in nervis per totum corpus diffusis &c. De quibus plura P. Renz q. 3. 4. & 5.

CONCLUSIO IV. Sensus interni sunt quatuor, sc. sensus communis, phantasia, æstimatoria, & memoria. Iterum omnes. Probatur: quia tot sunt operationes diverse & distinctæ ab operationibus sensuum externorum; nam 1. Advertimus nos videre, audire &c. ergo debet admitti sensus internus communis. 2. Cognoscimus objecta absentia etiam tunc, dum à nullo sensu externo cognoscuntur, ut fit in somno: ergo datur phantasia. 3. Apprehendimus subinde objectum sub aliqua ratione insensata, sub qua non solet esse in sensibus

sibus exterioribus, sic multi advertunt præsentem esse felem, etsi non videant &c. ergo concedenda est *æstimativa*. 4. Denique experimur, animalia retinere species *insensatas* (nam *sensatas* retinet phantasia) rerum *absentium*: sic ovis fugit è loco, in quo prius vidit lupum; canis culinam, in qua accepit verbera &c. ergo datur *memoria sensitiva*.

378 Quæres 1. Utrum hi quatuor sensus *interni* realiter inter se distinguantur? R. Affirmative: tum quia habent diversa formaliter *objecta*; nam *sensus communis* cognoscit objectum secundum species *sensatas* ut *præsens*, & phantasia per *easdem* ut *absens*: æstimativa secundum rationes *insensatas* ut *præsens*, & memoria per *easdem* ut *absens*. Tum quia habent realiter *diversa organa & subjecta*; etenim sensus communis residet in *anteriori* parte cerebri; phantasia versus *medium*, æstimativa in *medio*, memoria in *parte posteriore*: quam proinde fricare solemus in rememorativis &c. Vid. P. Renz q. 6. a. 1. 2. 3. & 4.

379 Quæres 2. Quid sit somnus? & somnium? R. Somnus est *ligatio sensuum externorum, ad animantium quietem & salutem instituta*. Contingit quando vapores cibi & potus, è ventriculo ad *cerebrum* ascendentes, *ejus* frigore addensati, naturali gravitate in nervos sensorios recidunt, ac meatus obstruunt, per quos *spiritus* animales (ad sensationes necessarii) transire & in sensus externos transire deberent. Somnium autem est *operatio phantasiae, in somno species diversorum objectorum representantis & conjungentis*. Aliud est *Divinum* (quando oritur à Deo) aliud *diabolicum* (quod à diabolo) aliud *naturale* (quod à prædominatione unius ex quatuor humoribus) & aliud *animale*, quod ex præcedenti operatione sensuum externorum provenit. Vid. P. Renz a. 6. & 7.

ARTICULUS II.

An potentia sensitivæ indigeant speciebus intentionalibus ad eliciendas sensationes?

381 **P**Rænotandum: Nomine *specierum intentionalium* hic intelligi formas quasdam accidentales seu qualitates subtiles, quæ sint imagines & *representationes* objecti, deservientes *potentiis* ad cognoscendum. Si ad *sensationem* deserviunt, dicuntur *sensibiles*, suntque quid materiale: si ad *intellectionem*, *intelligibiles*, suntque quid immateriale. Species alia est *impressa* (& est *imago* objecti *ut quo* tantum) alia *expressa*, quæ est similitudo & *imago* objecti *ut quod*.

382 **CONCLUSIO I.** Sensus tam interni quam externi indigent speciebus *impressis* ad suas operationes eliciendas. Ita communiter *Philosophi*.

Probatur: Ut fiat *sensatio*, debet *objectum* cum *potentia uniri*: atqui *objectum* non potest uniri secundum suam *entitatem*; quia quoad *hanc* sæpe est *improportionatum*, *absens*, aut *non amplius existens*; ergo debet uniri per *speciem*.

CONCLUSIO II. Speciebus *expressis* tamen non indigent sensus externi, sed *interni* tantum.

Probatur: *Cognitio sensuum externorum* est *experimentalis*; nam tunc maxime *experimur* aliquid, si illud sensu aliquo exteriori attingimus: atqui si sensus externi formarent *speciem expressam*, vel *imaginem*, in qua *objectum* cognoscerent, non haberent *cognitionem experimentalem*; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Species non possunt *objectum unire* potentia; ergo. a. p. Non possunt gerere *vices* objecti: ergo. a. p. *Objectum* sæpe est *substantia*, species vero sunt *accidentia* (: r. d. a. in esse *entitativo* c. in esse *intentionali & representativo* n. :) ergo.

Ob. 2. Species non *determinant* sensus ad cognoscenda *objecta*; ergo. a. p. Satis *determinantur* per ipsam *præsentiam* *objectorum* (: *extrinsece & mediate* c. *intrinsece & immediate* n. :) ergo. Deinde: *voluntas & appetitus* non indigent speciebus ad *operationes* suas eliciendas: ergo nec *sensus & intellectus* (: n. c. Quia *voluntas & appetitus* non trahunt *objectum* ad se, nec ei *assimilantur*; velut *intellectus & sensus* :)

Ob. 3. Ipsæ species *prius* non cognoscuntur: ergo non possunt ducere in *cognitionem* objecti. c. p. *Incognitum* non potest ducere in *cognitionem* alterius (: tanquam *imago ut quod & signum instrumentale* c. tanquam *imago ut quo & signum formale* n. :) ergo. a. p. *Imago Cesaris* prius debet cognosci quam *Cæsar*; ergo. (: n. c. Quoniam *hæc* est *imago ut quod* :)

Ob. 4. Taliter *duo* *accidentia* solo *numero* distincta erunt in *eadem* *subjecto*: atqui hoc est contra TT. ergo. S. M. p. In oculo *vidente* *Petrum & Paulum* forent *duæ* species, solo *numero* distinctæ; ergo. a. p. *Petrus & Paulus* distinguuntur solo *numero* (: si considerentur in *esse rei* c. si in esse *representabilis* n. :) ergo. Vid. P. Renz d. 8. q. 1. a. 1. ob. 2.

Ob. 5. Ad *operationem* sensuum species non concurrunt per modum *principii* *activi*; ergo. a. p. *Operatio vitalis* debet esse à *principio vitali* (: formaliter & *intrinsece* semper n. *vitali completive*, quatenus nempe *complet* *potentiam vitalem* c. :) *quale* species non sunt; ergo.

Inst. Species *entitative* non sunt *vitales*: ergo nec possunt esse *complementum* *potentia vitalis*: (: in *ratione vitalitatis* c. in *ratione assimilationis* cum *objecto* n. :)

Ob. 6.

390 Ob. 6. Si darentur species, deberent produci ab objecto: atqui hoc non est; ergo. m. p. Tum quia *ignobilis* non potest producere aliquid *se nobilius* (: simpliciter c. nobilius *secundum quid* duntaxat, uti sunt species, utpote *dependentes* ab objecto, n. :) Tum quia objectum non producit speciem in *ipso* organo; secus enim daretur actio in distans: nec in *aere* intermedio usque ad organum; quia alias unum accidens migraret ex subjecto in subiectum (: si maneret species *eadem* numero c. secus n. Nam una producit alteram: sicut unus circulus in aqua alterum; & quidem in instanti, eoquod non habeant *contrarium* resistens:) ergo.

391 Replicas: Species producens alteram non est causa *instrumentalis* tantum; siquidem non agat ad effectum *se excedentem*: nec *principalis*; quia agit *dependentem* ab objecto (: tanquam *virtute* n. tanquam *conditione* c. Sic homo adhuc est causa principalis, etsi in agendo à Deo *dependeat*:) ergo.

392 Ob. 7. Si darentur omnium rerum species, quæ per aërem diffusæ transirent ad sensus, foret maxima earum confusio (: si quælibet repræsentaret *quodlibet* objectum c. si præcise *suum* n. :) Imo contraria simul forent in eodem subjecto, sc. species frigidæ & calidæ in eodem aëre, quæ utique sunt contraria (: quoad rem *repræsentatam* c. quoad *repræsentationem* n. taliter enim sunt quid intentionale:) Quin non foret ratio cur arbor v. g. non videretur in aëre, velut in speculo (: si reflecteretur species ejus c. secus n. :) ergo. *Vid. cit. P. Renz l. c.*

393 Quæres 1. Utrum species *sensibiles* sint divisibiles? *R.* Esse divisibiles non tantum *subjective* (cum inhæreant subjecto divisibili, sed etiam *objective* & in repræsentando: quia objectum est divisibile; adeoque tot partes speciei recipiuntur in oculo, quot partes sunt in objecto, v. g. monte integro. *Vid. P. Renz d. 8. q. 1. a. 4.*

394 Quæres 2. An species ipsæ *in se* sentiri queant? *R.* Quod non; sed tantum sunt media, quibus sentiuntur & cognoscuntur objecta: nam species non sunt coloratæ, sonoræ &c. sed repræsentativæ solum coloris, sonori &c. Unde etiam in speculo non videmus species, sed mediâ specie *objectum*; secus enim videremus objectum in superficie speculi, & non *post* speculum. *Quod* inde est, quia repræsentat objectum cum *sua* distantia; adeoque *ultra* seu *post* speculum. Hinc etiam turres, montium cacumina, & homines adstantes aquæ, repræsentantur *inverso* modo; quia *apex* turris, montis, & hominis, magis distat à flumine quam partes *inferiores*.

395 Quæres 3. Num sensus, objecta sua cognoscendo, nil *effective* operentur? adeoque an sint potentia mere passivæ? *R.* Sensus non esse potentias mere passivas (quia ab *intrinsicis* *movent* ad actum sensationis eliciendum) esse ta-

men *magis* passivas quam activas: quia *dupliciter* recipiunt, vid. species & ipsas sensationes; & tantum sub *una* ratione agunt, quatenus nimirum speciebus informatæ actum sensationis producant. Quando S. D. dicit, *sensationem* 396 non esse actionem *veri* nominis, solummodo vult, quod *sensatio* distinguatur ab actione *physica*, quæ constituit *prædicamentum* actionis, fitque cum successione, & mutatione objecti. *Vid. P. Renz hic a. 2.*

Quæres 4. Quodnam sit objectum *sensuum*? *R.* Omne *sensibile*, dummodo *singulare* sit (quia sensus non habent vim abstrahendi) *corporeum* (eoquod sensus non ferantur ultra suum ordinem corporeum) & *præsens* saltem in sensibus externis; quia sensatio non potest fieri nisi accepta *specie* ab objecto; quod fieri non posset, si objectum distaret nimium. Porro *sensibile* aliud est tale *per se* (quod immediate & ratione *sui* percipitur, ut albedo &c.) aliud *per accidens*, quod solum ratione alterius percipitur, ut *substantia* respectu visus. Sensibile 398 *per se* subdividitur in *sensibile commune* (quod percipitur a pluribus sensibus; sic *figura* percipitur à visu & tactu: suntque quinque hujus species, sc. motus, quies, numerus, figura & quantitas) & in *sensibile proprium*; quod ab *uno* duntaxat sensu percipitur: estque iterum *quintuplex* juxta numerum sensuum externorum, de quibus à n. 375. Sentitur autem utrumque hoc sensibile *per eandem* speciem sensibilis *proprii*: quia percipiuntur à sensu per modum *unius* objecti; nam sensibile commune non potest percipi *sine* proprio (eoipso quod sensus extra proprium specificativum ferri non possit) nec proprium sine communi, à quo determinatur & modificatur. *Vid. cit. P. Renz a. 3. 4. & 5.*

Quæres ult. An & quomodo sensus *errare* possint circa *proprium* sensibile? *R.* Non posse errare secundum rationem *genericam* (quia visus v. g. non potest ferri in non-coloratum; siquidem *coloratum* sit ejus objectum adæquatum) neque secundum rationem *specificam* (quia species *albi* non potest repræsentare nigrum) bene vero quoad rationem *individui*: quia *hæc* est extra objectum sensuum. Insuper errare possunt circa sensibile *commune*, & quidem *per accidens*: quia hæc duo sensibilia non nisi *mediante* alio immutant sensum; quod autem sentitur *per alterum* (cum non sit *proprium* specificativum) potest latere altero apparente, in quod fit *deceptio*, sic vitrum potest aspici pro gemma &c. Quodsi oculus *rubra* pro *nigris* aspiciat, aut gustus dulcia sentiat amara &c. est *per accidens* vel ex *defectu* medii, vel organi, vel distantia. De reliquo sensibile, *immediate* supra *sensum* positum, non facere sensum: sensibile *vehemens* autem lædere sensum, probat experientia, & fusius ostendit P. Renz d. 8. q. 2. a. 7. & 8.

QUÆSTIO III.
DE ANIMA RATIONALI.
ARTICULUS I.

Quid sit anima rationalis? & quas potentias habeat?

400 **CONCLUSIO I.** Anima rationalis recte definitur est *actus primus corporis organici, potentia vitam rationalem habentis.*

Sensus est, quod sit *principium radicale intelligendi.* Est incorporea seu *spiritualis* (quia est principium operationum spiritualium; & in sui productione dependet à materia tantum ut *conditione*, sine qua Deus non infunderet animam) & *immortalis*: quia est independens à principio corruptionis, quod est materia; ergo.

401 **CONCLUSIO II.** Anima rationalis habet tres potentias vid. *intellectum, voluntatem, & memoriam.* Communis

Explicatur: *Intellectus* est potentia spiritualis *cognoscitiva* entis sub ratione *veri*: adeoque eius objectum *determinativum* est ens in *tota* sua latitudine; nam intellectus potest percipere, quidquid habet rationem *entis*: objectum *motivum* autem pro statu unionis cum corpore est *ens materiale & sensibile*; quia hoc solum immediate per speciem intelligibilem representatur. *Voluntas* est potentia spiritualis *appetitiva boni* per rationem apprehensi: adeoque hujus objectum quoque est ens in *communi* sed sub ratione *boni appetibilis*; estque triplex, *honestum, utile, & delectabile.* *Memoria* denique est potentia spiritualis *conservativa specierum* intelligibilium circa objecta semel percepta. Dicitur aliàs intellectus *patiens*: de quo loquitur sequens

402 **CONCLUSIO III.** Intellectus subdividitur in *agentem & patientem*: tanquam in potentias realiter distinctas. *Est potior TT.*

403 **Prob. 1. pars:** Intellectus non habet species sibi *congenitas* (velut patet ex nostro studio & ruditate) nec immediate ab *objectis* externis (cùm *hec*, utpote *materialia*, emanare non possint speciem *spiritualem*) nec à phantasia vel alio sensu *interno*, quia nec isti ordinem spirituales attingunt: ergo debet dari potentia aliqua, quæ istas species intelligibiles *producat* (& est intellectus *agens*) Item experientia constat, nos rerum species in mente retinere, & per eas pro libitu intelligere: ergo quoque datur intellectus *patiens*, seu species illas recipiens, & retinens.

404 **Prob. 2. pars:** *Actus* intellectus *agentis & patientis* sunt *realiter & essentialiter* distincti; ergo. a. p. Operatio intellectus patientis est essentialiter *cognitio* objecti, & operatio intellectus *agentis* non est cognitio objecti; quia non procedit à potentia ut *actuata* per speciem,

eo ipso quod procedat ab intellectu *tendente* primum ad *producendam* speciem: ergo.

Objicies 1. cont. 3. concl. part. 1. Non datur *sensus* aut *voluntas* agens: ergo nec *intellectus* agens (: n. n. c. & c. Quia objecta *sensuum* sunt *his* satis proportionata & apta ad producendas species: voluntas autem non est cognoscitiva; ergo nec indiga specierum impressarum:)

Urg. Intellectus noster intelligit res *spirituales* (: per *modum* rerum *spiritualium* pro hoc statu n. per modum rerum materialium & per species *alienas* c. :) ergo in ordine ad *has* non requiritur intellectus agens. c. p. Res *spirituales* jam sunt proportionatæ intellectui; ergo.

Ob. 2. In *Angelis* non datur intellectus agens, *distinctus* à patiente: ergo nec in anima rationali (: n. c. Quoniam Angeli, utpote in prima sui creatione *perfecti* tam quoad esse quam operari, habent species in prima sui productione sibi *infusas*, & intelligunt *independentem* à sensibus, ex *tr. de Angel. à n. 100.* :) Deinde: implicat *intellectus*, qui *nihil* intelligat (: nec obrectum reddat *intelligibile* c. si reddat objectum saltem intelligibile n. :) atqui intellectus *agens* nihil intelligit; ergo implicat.

Ob. 3. cont. 2. part. Actio potentia *vitalis* debet esse immanens: atqui actio intellectus *agentis*, si realiter distinguitur à patiente, non est ipsi *immanens* (: ratione *sui* c. ratione *suppositi*, nempe animæ, in qua mediante intellectu patiente recipitur, n. Sic *nutritio* est *vitalis*, etsi non maneat in *potentia* nutritiva, sed recipiatur in alimento; cum actio sit in passio:) quia species impressæ recipiuntur in intellectu patiente; ergo. Rursum: intellectus *agens* in statu *separationis* nihil amplius potest *depurare* à materialitatibus & singularitatibus; ergo erit *otiosus* (: n. c. Nam facit naturam humanam *integram*, sicut *alia* potentia:)

Ob. 4. Intellectus *patiens* potest producere species *expressas*, ex n. 417. ergo & *impressas* (: n. c. Quia *sine* specie impressa nondum est in actu sed est velut tabula rasa, ut loquitur Aristoteles, & sic non potest seipsum *primo* reducere in actum: econtra dum est *informatus* specie *impressa*, jam est redactus in actum, & ita jam potest elicere speciem expressam:) c. p. Species impressa est imperfectior, utpote tantum imago ut quo: ergo.

Inf. Quæ in *inferioribus* sunt dispersa, ea in superioribus *adunantur* (: si cætera sint paria, & nihil obstat c. secus n. obstat enim, quod intellectus sit *pura* potentia in genere intelligibilium, & ita non possit seipsum reducere in actum *absque* specie impressa:) atqui *producere* species, & eas deinde *cognoscere* in potentiis sensitivis pertinet ad *diversas* potentias; ergo in intellectu tanquam *superiore* adunantur.

Ob. 5.

411 Ob. 5. Memoria intellectiva non distinguitur realiter ab intellectu patiente, ex n. 437. ergo nec intellectus agens (: n. 9. Quia non repugnat, duo, quæ respectu ejusdem se habent mere passive, identificari realiter: repugnat vero duo realiter identificari, quorum unum respectu ejusdem est pure activum, alterum pure passivum; velut intellectus agens & patientis:)

412 Quæres 1. Per quid intellectus agens (utpote de se indifferens) ad producendam speciem intelligibilem hujus, & non alterius objecti representativam, determinetur? R. Per phantasma: nam quando objectum immittit sui speciem in aliquem sensum externum, ea primo transfertur ad sensum communem; ab hac autem propagatur ad phantasiam, ubi phantasma vocatur: phantasma demum unâ cum intellectu agente concurrat ad producendam speciem intelligibilem. Proinde quod species intelligibilis representet hoc potius, quam aliud objectum, provenit à phantasmate, excitante intellectum, ut illud depingat, & formet speciem perfectiorem, representantem sc. solam naturam seu quidditatem sine singularitate & materialitate, cum quibus representabatur in phantasia: sicque phantasma ad productionem speciei intelligibilis non concurrat effective instrumentaliter (siquidem ad hanc producendam sit improporionatum) sed objective solum, & per modum exemplaris. Vid. P. Renz hic q. 2. a. 5.

413 Quæres 2. Quid intellectus per se primo intelligat? singulare, an universale? R. Pro hoc statu, qua anima unitur corpori, directe, immediate, & per se primo non cognoscit singulare sed universale tantum seu quidditatem materialem. Ratio est: quia species ab intellectu agente formata (utpote à phantasmate abstracta) eidem representat solam rei quidditatem, & nihil singulare; ergo per se primo illam cognoscit, non vero singulare. Nec obest, quod sola singularia sint in sensu; nam in hoc sunt cum conditionibus singularizanribus; in intellectu autem cum abstractione: quamquam quoque hic reflexe & per speciem preconceptam cognoscat singularia, etiam directe; non quidem cognitione primaria sed secundaria. Quod Angeli per se primo intelligant singularia, inde est, quia non intelligunt per species abstractas sed infusas. Vid. tr. de Aug. n. 100. 157. &c.

ARTICULUS II.

Utrum intellectus patientis per actualem intellectionem producat speciem expressam, ab ipsa intellectione realiter distinctam?

415 PRænot. 1. Ad hoc, ut intellectus actualiter intelligat requiri 1. Principium intelligendi radicale, quod est anima. 2. Principium for-

R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

male seu proximum, quod est potentia intellectiva. 3. Speciem impressam, per modum principii ad intellectionem effective concurrentem. 4. Ipsum actum intellectionis. 5. Denique ipsam speciem expressam, in qua velut in imagine aut speculo objectum intellectui repræsentetur, fiatque actu cognitum seu intellectum. Dicitur aliàs etiam verbum mentis, quia per illam ab intra nobis loquimur mentaliter.

PRænot. 2. Intellectionem à nobis pro hoc statu sic fieri. 1. Sensus externi recipiunt species objectorum materialium. 2. Hæc derivantur ad sensum communem. 3. Ab hoc propagantur in phantasiam. 4. Ad præsentiam horum phantasmatum excitatur intellectus agens ad fabricandas species spirituales: 5. quibus intellectus patientis informatus & fæcundatus elicit intellectionem, formando speciem expressam, seu verbum mentis. De quo sit

CONCLUSIO: Intellectus patientis intelligendo producit speciem expressam: ab actuali intellectione realiter distinctam. Est communis T. ex S. D. op. 41. & q. 8. de pot.

Prob. 1. pars: Objectum, ut intelligatur, debet uniri potentie intellectivæ: atqui per se non semper potest uniri (cum sæpe sit absens, vel materiale) ergo debet uniri per similitudinem quamdam expressivam objecti, quæ similitudo est verbum mentis seu species expressa, ad quam terminatur cognitio: ergo producit speciem expressam.

Prob. 2. pars: Intellectio & species expressa possunt realiter separari; ergo etiam realiter distinguuntur. a. p. Visio beatifica est vera intellectio; nec tamen in illa datur species expressa (eoquod nulla imago creata possit Deum representare sicuti est, ex tr. de Deo n. 305. :) ergo realiter separantur. Præcipue: quia species expressa respectu intellectionis est terminus, ab ipsa productus; ergo realiter distinguitur: aliàs idem esset terminus sui ipsius.

Objicies 1. cont. 2. part. Verbum mentis nil aliud est quam actualis & formalis similitudo seu representatio objecti (: R. d. M. activa & ut quo n. ut in quo & tanquam terminus actus representantis c. :) in intellectu: atqui talis representatio (: ut quo c. ut in quo n. :) est ipsa intellectio; ergo ab hac realiter non distinguitur.

Ob. 2. Verbum mentis seu species expressa est id, mediante quo (: tanquam in imagine, objectum representante c. tanquam in actione, objectum contemplante n. :) cognoscitur objectum: atqui mediante intellectione cognoscitur objectum (: ut in imagine n. ut in actione c. :) ergo non distinguitur ab intellectione.

423 Ob. 3. Nos intelligendo non advertimus (: directe c. reflexe n. :) quod cognoscamus objecta in aliqua specie expressa: ergo non datur.

424 Ob. 4. Ideo species expressa admittitur, quia per illam intellectus constituitur in actu secundo (: completive & terminative c. formaliter n. :) atqui etiam per intellectionem intellectus constituitur in actu secundo (: formaliter c. terminative n. Sic potentia visiva constituitur formaliter videns per actum videntem, terminative verò per imaginem in speculo visam: ergo non distinguuntur. Vid. P. Renz d. 9. q. 2. a. 8. &c.

ARTICULUS III.

An voluntas sit potentia ab intellectu realiter distincta? & magis perfecta?

425 **P**Rænot. Præter appetitum sensitivum (quo ferimur in bonum per sensus apprehensum) dari insuper appetitum rationalem (quam voluntatem vocamus, & per quam in bonum, per intellectum cognitum, tendimus) probare experientiam. De quo igitur ponitur

426 **CONCLUSIO I.** Voluntas est potentia realiter & specificè ab intellectu distincta. Est communis contra Durandum.

Probatur: Quia habent diversa objecta formalia, specie distincta; nempe intellectus verum, voluntas bonum; ergo. Præcipue: quia insuper habent diversum modum operandi; nam intellectus res cognitæ trahit ad se; e contra voluntas trahitur: voluntas movet intellectum, & intellectus dirigit voluntatem &c. ergo.

427 **CONCLUSIO II.** Intellectus est potentia simpliciter perfectior & nobilior voluntate. Ita TT. cont. Scot.

Probatur: Quia intellectus, utpote majore abstractione tendens in objectum, voluntatem cœcam ducit & dirigit: ergo est nobilior & perfectior. Sic Dux est perfectior suo gregario.

428 **Objectiones 1. cont. 1. concl.** Intellectus & voluntas habent eundem actum, sc. electionem, quæ ad intellectum & voluntatem pertinet (: R. eodem modo n. diverso. c. Nam voluntas illam elicit, intellectus dirigit: ut asserit Arist. l. 6. eth. c. 2. ergo non distinguuntur.

429 **Ob. 2.** Voluntas est potentia cognoscitiva: ergo realiter non distinguitur ab intellectu. a. p. Agitur deliberatione & consilio (: proprio n. alieno, nempe intellectus c. :) uti certum est ex Trid. & experientia; ergo.

430 **Ob. 3. cont. 2. concl.** Objectum voluntatis, vid. bonum, est perfectius (: in esse entis c. in esse objecti n. Verum enim est quid abstractius:) quam sit objectum intellectus; er-

go. a. p. Bonum exprimit existentiam; quia possibilia non sunt bona simpliciter: verum ab illa abstrahit; ergo.

Ob. 4. Actus voluntatis præcipuus, sc. 431 amor, est perfectior (: in genere moris c. in genere entis n. vid. tr. de Act. hum. à n. 375. :) quam actus intellectus, qui est visio: ergo & voluntas est perfectior. Præterea: voluntas perfectiori modo movet intellectum, quam intellectus voluntatem; ergo. a. p. Voluntas movet per modum liberi (: libertate participata ab ipso intellectu c. independenter ab intellectu n. Etenim hic est radix libertatis, ex S. D. 1.2. q. 17. a. 1. ad 2. :) intellectus autem per modum necessarii; ergo.

Quæres 1. Quot sint actus voluntatis? 432

R. Actus elicit, qui versantur circa finem, sunt tres, sc. simplex volitio seu amor finis, intentio & fruitio: item pariter tres, qui versantur circa media, nempe consensus, electio, & usus. De quibus nos compendiosissime in Theol. nost. Part. 2. à n. 511. fusius P. Renz d. 9. q. 3. a. 1.

Quæres 2. Quomodo potentia inferior 433

res subordinentur intellectui & voluntati? R. 1. Potentiæ vegetativa non subduntur imperio rationis & voluntatis: quia inter operationes vitales sunt infima, & in operationibus suis simpliciter determinatæ, nec sequuntur appetitum aut animale aut intellectualem sed naturalem, quo res sine prævia cognitione in suum bonum tendit. Vid. cit. Theol. nost. n. 522. & P. Renz hic a. 4.

R. 2. Sensus externi & potentia locomotiva 434 subjacent intellectui & voluntati despotice ac serviliter, sicut servus subest domino suo, cui contradicere non audet: quia pro libertate possunt ad objecta moveri vel dimoveri, neque unquam suas operationes exercent, ratione & voluntate simpliciter renitente, nisi vis externa adsit, vel indispositio organorum.

R. 3. Sensus interni & appetitus sensitivi 435 subjiciuntur imperio rationis & voluntatis solum politice: quia per experientiam habemus, sensus internos, maxime phantasiam & appetitum sensitivum circa sua objecta occupari, etsi intellectus & voluntas quam maxime contradicant. Hæc autem deordinatio permessa est in pœnam peccati, quo homo subordinationem sui ad Deum evertit. Vid. tr. de Vit. & peccat. à n. 402. item à n. 472.

ARTICULUS IV.

TRACTATUS IV.
ET ULTIMUS.

Num memoria intellectiva sit ab intellectu realiter distincta?

IN

METAPHYSICAM.

436 PRænotandum: Dari memoriam intellectivam, nos evidenter experiri, dum recordamur rerum universalium & spiritualium, ac ipsarum etiam intellectuum nostrarum. Num ab intellectu distinguatur? dicit sequens

437 CONCLUSIO: Memoria intellectiva ab intellectu patiente non est realiter distincta; sed est eadem potentia, quæ quatenus primo recipit species & per eas intelligit, vocatur intellectus patiens; quatenus autem species semel receptas conservat, & iisdem iterato utitur ad idem objectum intelligendum, dicitur memoria intellectiva. Est communior Physicorum.

Probatur: Quia illorum actus non habent objecta formaliter diversa; siquidem objectum primo cognitum (quod habet intellectus patiens) & objectum iterato cognitum (quod habet memoria) non nisi accidentaliter differant: ergo.

438 Objicies 1. Potentia æstimatoria, & memoria sensitiva realiter distinguuntur: ergo etiam intellectus & memoria intellectiva realiter distinguuntur (: R. n. c. & c. Quia non sunt in diversis subjectis, quemadmodum æstimatoria & memoria sensitiva, ob diversam organorum dispositionem :) c. p. Etiam intellectus est presentium & memoria præteritorum intellectiva: ergo.

439 Ob. 2. Intellectus non semper actu intelligit (: ex defectu specierum n. ex defectu conversionis ad phantasmata, sine qua pro hoc statu non intelligit, ut patet in dormientibus, c. :) ergo species non manent conservatæ in ipso intellectu, sed in memoria ab intellectu realiter distincta.

440 Ob. 3. inst. Non potest dari ratio, cur intellectus ad hoc potius quam ad aliud phantasma se convertat, ejusque recordetur (: n. hoc; nam id provenit ab ipso phantasmate: quod autem hoc potius quam aliud excitetur, subinde provenit ab extrinseco, Deo, Angelo, sensu externo &c. subinde ab intrinseco, nempe à commotione humoris, in temperamento prædominantis &c. :) ergo. Vid. P. Renz hic q. 3. n. 5.

Denique devenimus ad Metaphysicam, partem Philosophiæ ultimam, si ordinem consideres; primam tamen, si spectes seu nobilitatem objecti (quod est ens qua tale, latitudine sua complectens omnia aliarum scientiarum objecta) seu puritatem abstractionis (nullam prorsus materiam, nec singularem, nec sensibilem, nec intelligibilem attingentis) seu principiorum altitudinem; eoquod per principia metaphysica (qualia sunt quodlibet est, vel non est: impossibile est idem esse & simul non esse) etiam aliarum scientiarum principia probari debeant. Dicitur Metaphysica (quod idem est ac trans- seu post-physica) vel quod Physicam dignitate transcendat; vel quod velut meta cæterorum, quæ in Physica traduntur, post Physicam & ultimo loco tractari soleat. De reliquo etsi materia Metaphysices de se fit satis ampla (utpote ab Aristotele per 14. libros explicata) quia tamen magnam partem tum in Logica tum in Physica propter materiarum connexionem præoccupavimus, ideo residuam duplici Disputatione absolvemus. In priore agemus de natura & principiis Entis: in posteriore de ejusdem proprietatibus.

DISPUTATIO I.

DE NATURA ET PRINCIPIIS ENTIS.

Quatuor potissimum sunt, quæ circa præsentem rubricam inquiri solent. Inprimis an Ens possit perfecte præscindi à suis inferioribus? Deinde utrum essentia, existentia, & subsistentia in creatis realiter distinguantur? Quod resolvetur in sequenti Quæstione prima. Duo sequentia, utrum essentiæ rerum ab æterno sint quid actuale? & in quo consistat possibilitas rerum? decidentur in Quæstione altera. Numeri marginales hic continentur, velut alibi; quia taliter in citando minor confusio eveniet.



VI QUÆSTIO I.

DE PRÆCISIONE, ESSENTIA,
EXISTENTIA ET SUBSISTEN-
TIA ENTIS.

ARTICULUS I.

An ens possit perfecte præscindi à suis inferioribus? adeoque an sit univocum?

441 **P**Prænotandum 1. Metaphysicam definiri, quod sit *scientia contemplativa entis, ut ens est*. Adeoque objectum ejus est *ens sub reduplicata ratione entis* (quia de hoc demonstrat proprietates, sc. veritatem, unitatem & bonitatem) & quidem objectum *materiale* est ens reale; *formale* verò ipsa *ratio entis*: objectum principalitatis est *DEUS*: & objectum *communitatis* est *ens*, prout abstrahit ab ente reali & rationis.

442 **P**Prænot. 2. Ens recte describi, quod sit *id, cujus actus est esse*: id est, ens est essentia, cujus actus est existentia. Dividitur 1. latissime in ens reale & rationis: *Ens reale*, in actuale & possibile: *actuale* in completum & incompletum: *completum* in simplex & compositum. 2. In ens per se, & in ens per accidens: *Ens per se*, in substantiam, & accidens: quod deinde ulterius dividitur in cætera prædicamenta.

443 **P**Prænot. 3. Certum esse quod *ens* sit transcendens *omnes res*, ipsasque rerum differentias, & formalitates: quia de *his* omnibus in recto prædicari potest. Dubitatur tantum, an ens ita sit transcendens, ut nec per actum intellectus possit à suis *differentiis* (cujusmodi sunt *aseitas*, *abaleitas*, *perseitas* & *inaleitas*) ac inferioribus (e quibus præcipua sunt *DEUS* & creatura, *substantia* & accidens) perfecte præscindi?

444 **C**ONCLUSIO: Etsi ens possit imperfecte abstrahi à suis differentiis & inferioribus: non tamen potest perfecte præscindi: consequenter non est quid univocum sed analogum. Ita T. T. communiter ex S. D. op. 48. tr. 2. de præd. c. 1. &c.

445 **P**Prob. 1. pars: Dum cogito *ens*, non cogito *explicite*, an sit Deus vel creatura? an substantia vel accidens? ergo præscindo, saltem imperfecte. a. p. Dum intellectus, lumine *fidei* destitutus, cognoscit hostiam consecratam, cognoscit quidem *ens*, nescit tamen, an sit *substantia*? vel tantum accidens; ergo.

446 **P**Prob. 2. pars: Conceptus objectivus *entis* formaliter involvit saltem confuse sua inferiora & differentias; cum hæc sint formaliter *ens*: ergo non potest perfecte præscindi per modum excludentis & exclusi, ut contingit inter animal

& rationale; nam *ens* non tantum est ratio conveniendi sed *simul* disconveniendi.

Prob. 3. pars: Ens non est pure *equivocum* (quia non *solum nomen* sed etiam ipsa *ratio entis* inferioribus convenit) Nec *univocum* (quia *ratio entis*, per nomen significata, non est omnino *eadem* in inferioribus; siquidem Deus sit ens per essentiam, creatura tantum per participationem: substantia sit ens *simpliciter*, accidens tantum secundum quid; sicque in ipsa *ratione entis* differant) ergo est analogum; cum *ratio entis* per nomen significata *partim*, sit *eadem*, *partim diversa*. Et quidem analogia tam *attributionis* (quia uni, sc. DEO, principaliter & primario convenit) quam *proportionalitatis*; quoniam in quolibet inferiore essentialiter imbibitur, cum proportione tamen: ergo.

Objicies 1. cont. 2. part. Ens non includit sua inferiora *implicite*; ergo. a. p. Quando dico, *substantia est ens*, non prædico quantitatem, qualitatem &c. (: *x. d. a. explicite c. implicite*, quod nempe substantia habeat esse simile cum esse quantitatis n. :) ergo ens non includit sua inferiora *implicite* (: *d. aliter: copulative c. disjunctive n.* :) a. p. Alias sensus esset, *substantia est quantitas, qualitas &c.* (: si prædicarentur *explicite c. si tantum implicite n.* Sic licet *DEUS* *implicite* importet omnes tres Personas Divinas, tamen quando dico *Pater est DEUS*, non prædico omnes tres personas; quia tantum *implicite* involvuntur :) ergo.

Ob. 2. Possum esse certus, quòd aliquid, v. g. lux sit ens, & tamen incertus, utrum sit substantia vel accidens? ergo ens sua inferiora non includit *formaliter* (: *explicite c. implicite n.* :)

Urget: Ens non includit sua inferiora *formaliter implicite*; ergo. a. p. Quia homo *implicite* includit *animal rationale*, non possum esse certus *aliquem esse hominem*, & simul incertus, an sit animal rationale: ergo etiam si ens *implicite* includit sua inferiora, non potero esse certus, aliquid esse ens, & incertus, num sit substantia (: *n. c. Quia homo & animal rationale*, sunt convertibilia; non verò Ens, & ejus inferiora; non enim valet est ens, ergo est accidens; sicut non valet, est Animal, ergo est homo :))

Ob. 3. Ens in suo conceptu generico nihil dicit (: *explicite c. implicite n.* :) quam actum existendi: atqui actus existendi plane nil dicit de inferioribus (: *explicite c. implicite n.* :) ergo.

Urget: *Ratio entis* respectu substantiæ & accidentis est *superior* (: *proprie & simpliciter n. secundum quid & proportionaliter c.* :) cum in ratione entis conveniant (: ita ut ens includatur in suis differentiis c. secus n. Sic si animal includeretur in suis differentiis, non esset genus & superius :))

454 Ob. 4. cont. 3. part. Ens est objectum Metaphysicæ: ergo debet esse *univocum* (: in *esse rei n.* in *esse scibilis c.* Imo etiam de analogis datur vera scientia, ut patet in Medicina:) Præcipue: quia ens potest esse *medium* demonstrationis (: si fumatur in *eadem* significatione c. secus n. :) ergo.

455 Ob. 5. Ratio *entis*, per nomen significata est perfecte eadem in Petro & Paulo; ergo saltem in ordine ad hos ens est *univocum*. a. p. Duo individua ejusdem speciei se habent æqualiter (: secundum rationes genericas & *specificas c.* secundum rationes *individuales n.* :) ergo ratio entis in illis est æqualis & perfecte eadem.

456 Ob. 6. Æterno & temporali nil est *commune* (: *univoce c.* analogice n. :) nisi solum nomen: atqui *Deus* est æternus, creatura autem *temporalis*; ergo solo nomine conveniunt; consequenter *ens* est pure æquivocum.

457 Inst. *Canis* in ordine ad canem *marinum* & *terrestrem* est quid pure æquivocum: ergo etiam *ens* in ordine ad *Deum* & *creaturam*. c. p. *Canis marinus* & *terrestris* magis conveniunt (: in ratione *substantia c.* in ratione *canis n.* :) quam *DEUS* & *creatura, quæ*, saltem si sit accidens, cum *DEO* in genere *substantiæ* non convenit; qualiter tamen conveniunt illi canes; ergo.

458 si sit accidens, cum *DEO* in genere *substantiæ* non convenit; qualiter tamen conveniunt illi canes; ergo.

ARTICULUS II.

Utrum essentia & existentia in creatis realiter distinguantur? aut saltem substantia ab existentia?

459 PRÆNOT. 1. Principia *entis* in essendo esse *essentiam, existentiam, & substantiam*. *Essentia* est id, per quod *unaquæque res* primo in se constituitur & ab aliis distinguitur. *Existentia* est *actus ultimus*, vi cuius *essentia* formaliter

460 ponitur extra causas. *Substantia* verò est *actus ultimus in genere substantiæ, reddens illam per se substantem & incommunicabilem alteri, ut supposito extraneo*: sicut *existentia* est *actus ultimus*, quo *res* ponitur in *esse sui*.

461 PRÆNOT. 2. Quæstionem hic esse de *essentia* secundum *esse exercitum* considerata: nempe utrum *essentia*, simul tempore producta cum *existentia*, sit *entitas* quædam realiter distincta ab *existentia*?

462 CONCLUSIO I. In creatis *existentia* realiter distinguitur ab *essentia*. Ita *TT. omnes ex S. D. l. 2. cont. gent. cont. Modistas. Scot. & RR.*

463 Prob. 1. Quia realiter separantur in mysterio *incarnationis*, in qua *Verbum Divinum* assumpsit *essentiam* seu naturam humanam, non assumpta *existentia humana*, ut *Ecclesia* decrevit *R. P. A. Schnell, Phil. P. III.*

contra *Nestorium*: ergo. Deinde: *Verbum Divinum* certo non assumpsit *substantiam humanam* (alias in *Christo* fuissent *duæ personæ*) ergo nec *existentiam*; quia sunt idem, ex dicendis n. 467.

Prob. 2. *Existentia*, indistincta ab *essen-* 464 tia, esset *actus purus & illimitatus*: quia nihil *reciperet* (siquidem esset *actus ultimus*) nec in aliquo *reciperetur*; quia *essentia*, in qua deberet recipi, à se esset indistincta; ergo. Adhæc: 465 etiam *essentia* esset infinita; eoquod sibi identificaret *ultimam* actualitatem in linea *entis*, sc. *existentiam*: sic *substantia* in linea *operandi* esset infinita, si sibi identificaret *operationem*: ergo.

Respondent aa. *Existentiam* creatam limi- 466 tari, quia adhuc esset ab *alio*. Contra est: *Esse ab alio* non limitat rem; aliàs *Filius* in *Divinis* esset *limitatus*. Imo illa *existentia*, propter suam illimitationem, excluderet omnem *causam* efficientem & omnem *ordinem* ad *subjectum*: sicut propter suam illimitationem utrumque excludit *Verbum Divinum*: ergo.

CONCLUSIO II. *Substantia* creata 467 non distinguitur realiter ab *existentia substantia*, sed tantum virtualiter. Ita *TT. cont TT.*

Probatur: *Existentia* *substantialis* omnia 468 præstat, quod præstaret *substantia* distincta; ergo. a. p. *Existentia* facit *substantiam* complete in se *substantem* (quia facit illam *existentem per se*; quod juxta *S. D.* est idem, ac *subsistere*) & omnino *incommunicabilem* alteri ut sustentanti: nam quod existit *existentiæ propriæ*, non amplius potest existere in *alio*, illique communicari. Præsertim: quia alias *exi-* 469 stentia non esset *ultima* actualitas *substantiæ*; siquidem adhuc perficeretur à *substantia*; ergo.

Objicies 1. cont. 1. concl. Posita sola 470 actione productiva, *res* jam ponitur à parte rei (: *Re. d. a.* ita ut *sola* actio sit *existentia n.* per *existentiam* ad hanc actionem consequentem c. Vel: *causaliter c.* formaliter n. Sic per *actionem* dealbativam murus fit albus *causaliter* tantum:) & fit *existens*: ergo non requiritur *existentia* distincta.

Urgebis: *Res* formaliter ponitur extra 471 causas per *essentiam actualem* (: *incomplete* & quoad gradum *essentialem c.* ponitur *complete n.* Sic per *materiam compositum* ponitur extra causas solum *incomplete*:) ergo *essentia* est *existentia*. a. p. Per *illam* tollitur ipsius *negatio* (: *incomplete c.* secus n. :) & constituitur in ratione *entis actualis* (: quoad *actualitatem essentia c.* quoad *actualitatem existentia n.* :) ergo.

Ob. 2. *Existentia* non potest recipi in *es-* 472 sentia; quia *hec* sine *existentia* est *nihil* (: *nihilitate existentia c.* *nihilitate essentia n.* Nam est

- est realis entitas, potens recipere existentiam: quemadmodum *materia prima*, præcisa à forma, est realis entitas potens recipere formam: ergo non distinguitur ab ea.
- 473 Infites: *Essentia præcisâ existentia* (: præcisione realis *separationis* c. præcisione *distinctionis* n. :) non est extra causas (: ratione *sui* c. ratione *existentia* n. :) ergo est purum *nihil*.
- 474 Ob. 3. *Existentia distincta* esset *substantia*; quia potentia & actus juxta S. D. ad idem prædicamentum pertinent: atqui non potest esse *substantia*; ergo. m. p. Alioquin duo actus *substantiales* (: *ejusdem* generis n. *diversi* c. *Essentia* enim est actus *physicus*, *existentia* autem *metaphysicus*;) sc. *essentia* & *existentia*, essent in eodem composito; ergo.
- 475 Ob. 4. *Essentia existentia* non distinguitur realiter ab *existentia*: ergo saltem *aliqua* *essentia* (: *incompleta*, quæque est ratio *formalis existendi* c. *secus* n. Etenim *essentia existentia* est ratio *formalis existendi*, consequenter non indiget alio, ut existat; sicut albedo non indiget aliâ, ut alba sit :) non distinguitur ab *existentia*. a. p. *Secus* daretur processus in infinitum: ergo.
- 476 Ob. 5. *Essentia*, realiter distincta ab *existentia*, esset *ens reale*, quod DEUS non *produxit* (: ut quod c. ut *quo* n. Nam DEUS *essentiam* comproduxit :) atqui hoc implicat; ergo. S. M. p. *Terminus productionis* (: ut *quod* c. *terminus ut quo* n. :) est *res existens*; ergo.
- 477 Ob. 6. *Existentia possibilis* non distinguitur realiter ab *essentia possibili*: ergo nec *existentia actualis* ab *essentia actuali*. a. p. *Essentia possibilis* etiam dicit *posse existere* (: per modum *potentialitatis*, recipientis *existentiam* c. per modum *actualitatis* receptæ, quæque sit ipsa ratio *formalis existendi*, ut est *existentia*, n. :) atqui hoc *idem* quoque dicit *existentia possibilis*; ergo.
- 479 Dices: *Res durat, refertur, unitur &c.* sine entitate *realiter* distincta; ergo etiam taliter *existit* (: n. c. Quia sic evaderet *infinita*; minime verò in casibus prioribus :))
- 480 Ob. 7. cont. 2. concl. *Existentia* recipitur in *subsistentia* & ipso supposito: ergo non est eadem cum *subsistentia*; quia *receptum*, & *recipiens*, utique distinguuntur. a. p. *Existentia* recipitur in ente *completo* (: *physice* c. *completo metaphysice* n. :) atqui solum suppositum, seu *essentia* ut actuata *subsistentiâ*, est ens *completum* (: d. ut ante: nam *essentia* se solâ est *physice* completa; *metaphysice* verò completur per *existentiam* :) ergo.
- 481
- 482 Ob. 8. urg. *Materia* in genere *physico* non recipit *existentiam*, nisi sit actuata per formam: ergo etiam *essentia* seu *natura* in genere *metaphysico* non recipiet *existentiam*, nisi prius sit actuata *subsistentiâ* (: n. c. Quia *essentia*, ut-
- pote *physice* completa, jam habet *actum* & esse *primum*, ergo per seipiam potest recipere esse *secundum* & *ultimum*: e contra *materia prima* caret actu *primo*, ergo non potest recipere *secundum* sine forma. Quin *materia* in genere *physico* recipit *actum ultimum* sc. formam *substantialem* sine actu *intermedio* superaddito; ergo etiam *essentia*, in genere *metaphysico* recipiet *actum ultimum* *metaphysicum* sine *subsistentia* superaddita:)
- Ob. 9. *Suppositum* non est *idem*, quod *existens*; ergo etiam *subsistentia* & *existentia* non sunt *idem*. a. p. Hæc propositio, *Petrus est suppositum*, est ab æterno vera; ista autem *Petrus est existens* est falsa (: si *ly existens* sumatur *participialiter* c. si *nominaliter*, n. :) quia aliàs *Petrus* deberet *existere ab æterno* (: n. hoc; *secus* enim ad *verificationem* hujus, *animal est vivens*, *animal* deberet *vivere ab æterno* :) ergo non sunt *idem*.
- Ob. 10. *Existentia* est *summe communis* (: per modum *actus* c. per modum *potentie* n. quia nec in se recipit *actum*, nec *naturam* amplius *actuari* permittit :) ergo non facit *naturam incommunicabilem*; quod tamen facit *subsistentia*. Præsertim: quia *existentia animæ separata* adhuc *communicari* potest *materiæ* (: ut *supposito* & *subsistenti* n. *secus* c. :) & *natura Divina Personis Divinis* (: ut *supposito extraneo* n. *intraneo* c. :))
- Ob. ult. *Existentia* & *subsistentia* habent *diversos effectus* formales (: *diversitate reali* n. *rationis* c. :) ergo *realiter* distinguuntur. a. p. *Existentia* ponit *rem extra causas*; *subsistentia* autem facit *illam incommunicabilem*: ergo habent *diversos* effectus formales (: per *rationem* c. à parte rei n. Sic à parte rei *animalitas* est *principium sentiendi* & *rationandi* :) Ex his
- Quæres 1. An *subsistentia* sit quid *negativum*, an *positivum*? R. *Subsistentiam* non esse *meram negationem*, sed *superaddere naturæ* aliquid *positivum*: tum quia ex dictis est *idem cum existentia*, quæ est aliquid *positivum*; tum quia est *ultima perfectio naturæ substantialis*; quæ *meræ negationi* in *incarnatione uniri* non potuisset: ergo.
- Dices: Si *subsistentia* *superadderet naturæ* aliquid *positivum*, tunc *Verbum* non *assumpsisset* aliquam *perfectionem*, quæ tamen pertinet ad *naturam humanam* (: per modum *termini præcise terminantis* n. :) sc. ipsam *subsistentiam*: atqui hoc est contra SS. PP. ergo.
- Infers: Ergo *personalitas humana* non est *curata*, si non est *assumpta* (: neque in se, neque in sua *radice*, c. si fuit *assumpta* saltem in sua *radice* sc. *natura humana* n. :) à *Verbo*. Vid. tr. de *Incarn.* à. n. 146.

493 Quæres 2. An *accidentia* existant per existentiam propriam? R. Quod sic: quia per existentiam substantiæ non possunt existere; cum existentia substantiæ sit ratio existendi per se; esse autem seu existentia *accidentis* sit *in esse* seu inexistere subiecto: ergo habent propriam, *dependentem* tamen à subiecto inhesionis.

495 Oppones: Illa existentia propria accidentis non est inhærentia *aptitudinalis*; alias essentia & existentia accidentis essent idem: nec inhærentia *actualis*; ergo. a. p. Accidentia Evangelica existunt actu (: per existentiam *naturalem* n. per *supernaturalem*, saltem quoad quantitatem c. :) & tamen non habent inhærentiam *actualem*; ergo.

497 Repones: Accidentia producuntur eadem actione cum *substantia*; ergo habent eandem cum substantia existentiam. c. p. Forma materialis habet eandem; ergo etiam existentia (: n. c. Quia forma facit *unum* per se; non autem *accidentia*: quæ insuper quandoque per *distinctam* actionem producuntur:)

498 Replikas: Natura humana, jam terminata existentia propriâ, non potuisset simul terminari alia ex tr. de *Incarn.* n. 231. ergo etiam essentia accidentis, terminata existentia propriâ, non poterit amplius terminari existentia alienâ, sc. substantiæ (: n. c. Quoniam ibi darentur duæ *existentia substantiales*: hæc verò una est *accidentalis*, altera *substantialis*, tantum extrinsece terminans:.) Vid. P. Renz hic q. 2. a. 1. & 5.

QUÆSTIO II.

DE ESSENTIA ET POSSIBILITATE RERUM.

ARTICULUS I.

Utrum essentia rerum ab æterno sint quid *actuale*?

500 P Rænotandum: Essentias rerum esse ab æterno, omnes Philosophos facile concedere: an autem hæc essentia, antequam in tempore accipiant existentiam, aliquod esse *actuale* habeant? discutari. Compositionem facere conatur nostra

501 CONCLUSIO: Essentia rerum, antequam existant, non habent quidem proprium aliquod esse *actuale* ab æterno: non tamen sunt omnino nihil & mere quid fictitium; sed habent aliquod esse *reale* distinctum à Deo & esse Divino; at *possibile* duntaxat & *objectivum*. Ita quoad rem T. T. potiores.

502 Prob. 1. pars: Quia aliàs nulla res quoad *totam* suam entitatem fuisset creata in tempore:

ergo essentia rerum non sunt aliquid *actuale* ab æterno,

Prob. 2. pars: Essentia rerum possunt à 503 parte rei existere; ergo non sunt omnino *nihil*; siquidem hoc sit incapax realis existentia: consequenter habent aliquid esse reale possibile, à Deo *distinctum*; alioquin si Deus illas produceret, *seipsum* produceret.

Objicies 1. Dantur scientia: atqui scientia sunt de rebus *æternis* (: R. d. m. secundum esse aut actualitatem *logicam* c. secundum esse *physicum* n. sic *ens rationis* est objectum scientia, etsi nullum esse *physicum* habeat:.) non secundum existentiam; ergo secundum *essentiam*, consequenter essentia sunt *æternæ actu* (: *logico*: & quoad prædicata *essentialia* c. actu *physico* n.:)

Ob. 2. Essentia rerum sunt objectum (: *secundarium* & terminativum c. *primarium* & motivum n.:) scientia *simplicis intelligentia* in Deo, quæ est scientia *realis actualis*: ergo debent esse aliquid reale *actuale* (: actualitate *logica* c. *physica* n.:) Vid. tr. de Deo à n. 469.

Ob. 3. Idea Divina, in quibus essentia rerum Deo ab æterno sunt præsentis, sunt causa vere *realis actualis*: ergo debent habere effectum *realem actualem* (: *representative* c. *actualem entitative* n.:) qualis sunt essentia *actuales*.

Ob. 4. Essentia ab æterno non sunt *ens actu*: ergo sunt omnino *nihil* (: *actuale* c. *possibile* n.:) consequenter non possunt fieri aliquid.

Urgebis: Petrus possibilis habet *actu esse possibile* (: per actum *actualem* n. per actum *possibilem* c.:) item *actu reali* (: *actuali* n. *possibile* c.:) distinguitur à chimæra: ergo ipsi convenit aliqua actualitas.

Ob. 5. Nisi essentia sint quid *actuale*, non possunt produci à Deo: quia omnis potentia *activa actualis* (: *creata* c. *creativa* n.:) supponit potentiam *passivam actualem*: ergo.

Ob. 6. Hæc propositio *Antichristus est possibile*, est ab æterno vera; ergo ab æterno debet dari ejus verificativum (: in actu *exercito* n. in actu *signato* c. hoc autem est ipse *antichristus* intrinsece possibilis:.) quod debet adeo esse ipse *Deus*; sicque essentia non distinguuntur à Deo.

Ob. 7. Essentia antichristi in actu *signato* non est aliquid *productum*; aliàs esset essentia exercita: nec *improductum*, quia solus Deus est *ens improductum* (: ita ut simul sit *improducibilis* c. ut sit *producibilis* adinstar essentia creata n.:) ergo.

Ob. 8. urgendo: Quod non est *productum* à Deo (: nec potest, nec *exigit* produci c. *secus* n.:) non est *creatura* (: exercita c. *signata* n.:) atqui essentia rerum non sunt *producta* à Deo (: ita tamen ut *possint* produci c. *secus* n.:) ab æterno; ergo non sunt *creatura*.

ARTICULUS II.

An detur possibilitas rebus intrinseca?

513 **P**Rænot. Nemini dubium esse, quin detur rerum possibilitas; quandoquidem sciamus, infinitas res esse à Deo producibiles, adeoque & possibiles. Dubitatur tantummodo, an præter possibilitatem extrinsecam & activam habent insuper possibilitatem intrinsecam & passivam?

514 **CONCLUSIO:** Præter possibilitatem extrinsecam etiam datur possibilitas rebus intrinseca: consistens in ipsa certorum prædicatorum non-repugnantia: derivata à Deo & ideis Divinis. *Est communis T.T. ex Th. 1. p. q. 25. a. 3. in c. &c.*

515 **Prob. 1. pars:** Inter rem à Deo producibilem & non-producibilem debet dari aliqua differentia: atqui hæc oriri nequit ex sola omnipotentia; eoquod ista ex parte sua sit potens producere chimæram & hominem: ergo desumenda est ex intrinseca capacitate existendi.

516 **Confirmatur:** Datur possibilitas extrinseca rerum; ergo etiam datur intrinseca. a. Est aa. c. p. Illud præcise potest produci à Deo, quod est possibile in se; quod enim est impossibile, producitur: ergo.

517 **Prob. 2. pars:** Res possibilis per non repugnantiam certorum prædicatorum, in quibus potest existere, distinguitur à rebus impossibilibus, utpote quæ realiter existere non possunt: ergo etiam in illa non-repugnantia consistit & constituitur. Quæ non-repugnantia tamen etsi explicetur per terminum negativum, nihilominus in recto est ens positivum, vid. ipsa rei potentis existere entitas: sic unitas consistit in positivo, etsi explicetur per indivisionem.

518 **Prob. 3. pars:** Res à Deo & ideis Divinis habent sua prædicata essentialia; siquidem Deus & ideæ Divinæ sint prima mensura & regula, per quam cuilibet rei tribuitur id, quod sibi est debitum & convenire potest: ergo etiam possibilitatem intrinsecam. *Vid. tr. de Deo à n. 574.*

519 **Objicies 1. cont. 1. part.** Si datur possibilitas intrinseca rerum, tunc Deus in productione illarum dependeret (: R. d. M. dependentiâ absolutâ, proveniente ex aliqua insufficientia, n. proveniente ex connexionem quam habet omnipotentia Divina cum termino factibili c. Sic scientia Dei quoque dependet ab objecto scibili:) ab ipsarum possibilitate intrinseca; sique non esset causa prima: atqui hoc non potest dici; ergo.

520 **Ob. 2.** Illa possibilitas intrinseca non est nihil (: existens actualiter c. potentialiter n. :) quia nihil non potest esse alicuienti intrinsecum: nec aliquid reale; quia nullum ens reale, præter De-

um, est ab æterno (: quoad existentiam c. quoad essentiam n. :) ergo non datur.

Ob. 3. urg. Possibilitas rerum datur ab æterno (: realiter & physice n. objective & in ideis Divinis c. :) quia creaturæ ab æterno sunt possibiles; ergo possibilitas intrinseca est ens actuale.

Instas: Res possibilis est eadem (: quoad essentiam seu prædicata essentialia c. quoad existentiam seu statum n. :) cum existente: ergo sicut hæc est ens actuale, ita & talis erit res possibilis.

Ob. 4. cont. 2. part. Illa non repugnantia prædicatorum, per quam res est possibilis intrinsece, ponit aliquid actu in re (: physicum n. aliquid objectivum & mere logicum c. :) ergo est aliquid actuale. a. p. Quia quod dat actualem denominationem debet actu esse (: physice semper & quoad entitatem n. objective & logice c. Nam si res actu esset, jam non foret possibilis:)

Dices: Non datur futuritio intrinseca (: n. hoc; & retorqueo: datur futuritio intrinseca: ergo & possibilitas. *Vid. log. n. 966. Item tr. de Deo à n. 495. :*) ergo nec possibilitas intrinseca.

Ob. 5. Si possibilitas intrinseca rerum consistit in dicta connexionem prædicatorum essentialium, tunc etiam impossibilia erunt intrinsece possibilia: atqui hoc dici non potest, ergo. S. M. p. Etiam impossibilia, ut est ens rationis v. g. habent certam connexionem prædicatorum essentialium (: in quibus possunt existere realiter n. in quibus repugnat illa existere realiter c. :) ergo impossibile v. g. ens rationis erit intrinsece (: ad existendum intentionaliter & objective c. ad existendum physice & realiter n. :)

Infers: ergo ens rationis est intrinsece possibile & impossibile (: respectu ejusdem existentie n. respectu existentiarum diversarum c. :)

DISPUTATIO II.

ET ULTIMA.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

IN hac ultima Disputatione breviter tria sunt expedienda. 1. Quænam sint proprietates entis? 2. Undenam desumenda sit Entis unitas individualis in substantiis? 3. Et unde in accidentibus? Ad quæ per tres Articulos respondet

QUÆSTIO I^{ca}.

DE UNITATE, VERITATE, ET
BONITATE ENTIS.

ARTICULUS I.

Quot, & quid sint proprietates entis?

528 **P**remotandum: Dari aliquas proprietates entis, inde constare, quia ens est objectum Metaphysicæ; consequenter debet esse scibile & habere proprietates. Quot sint? resolvet

529 **CONCLUSIO I.** Proprietates entis sunt tres, *unum*, *verum*, & *bonum*: quæ tamen ab ente realiter non distinguuntur, sed sola ratione. Ita communis.

530 **Prob. 1. pars:** Quia tot sunt rationes ad *primum* & essentialem conceptum entis consequentes, & eidem semper solique convenientes; ergo. a. p. Nam ens (quod secundum suum *primum* & essentialem conceptum dicit capacitatem ad existendum; cum sit id *cujus actus est esse*) vel concipitur in se *indivisum*? & sic habetur *unum* seu unitas: vel prout est *conforme ideis in intellectu Dei practico existentibus*? & sic habetur *verum* seu veritas: vel denique prout dicit convenientiam ad voluntatem? & sic habetur *bonum* seu bonitas; ergo. Et licet illa vox *Reuban* videatur exprimere *plures* proprietates, nempe insuper *res* & *aliquid*, hæ tamen supra *ens* non addunt proprium aliquem conceptum.

531 **Prob. 2. pars:** *Proprietates* entis & ipsum *ens* de se invicem prædicantur tam in concreto quam in abstracto: ergo inter se non distinguuntur realiter; adeoque sunt proprietates tantum metaphysicæ & attributales, non physicæ.

532 **CONCLUSIO II.** *Unitas* in recto dicit ipsum ens; prout tamen in obliquo importat negationem divisionis. Ita S. D. q. 9. pot. a. 7.

Probatur: Unitas neque dicit *solum* ens (: cum omnis proprietas debeat essentia aliquid superaddere) nec solam *negationem* (quia de hac nulla fit demonstratio) nec aliquid *realiter distinctum* (eoquod proprietates entis realiter non distinguuntur ab ente, ex n. 531.) ergo dicit ens quatenus *connotat* negationem divisionis: estque vel generica, vel specifica, vel numerica &c.

R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

CONCLUSIO III. *Veritas* transcendentalis formaliter consistit in intrinseca *intelligibilitate* entis; adeoque in recto dicit ipsum ens, prout tamen in obliquo connotat conformitatem cum intellectu, præcipue Divino. Ita communis.

Probatur: Veritas est *proprietas* entis: ergo debet illi esse *intrinseca*; cumque aliunde non sit proprietas physica sed logica & transcendentalis, realiter est ipsa rei entitas: prout tamen in *obliquo* connotat conformitatem ad intellectum; siquidem hic per se primo verus sit, & per ordinem ad hunc habeatur *veritas formalis*; ergo & transcendentalis.

CONCLUSIO IV. *Bonitas* transcendentalis consistit formaliter in *amabilitate* & appetibilitate intrinseca entis; proinde in recto importat ipsum ens, & in obliquo conformitatem id appetitum, Rursum communis ex S. D. q. 1. de verit. a. 1.

Probatur: Bonitas est perfectio *intrinseca* positiva; ergo in recto est ipsum *ens*, utpote quod ceu transcendens reperitur in omni *positivo*. Quod autem conformitatem illam importet in obliquo solum, inde est, quia sapit *relationem*, quæ ex ratione sua formali nullam perfectionem aut *bonitatem* exprimit.

Obijcies 1. cont. 1. concl. *Proprietates* non possunt enti *quid* superaddere (: *q. d. a. distinctum realiter c. ratione n. :*) ergo non dantur. a. p. Etiam sunt *ens* (: *implicite c. explicite n. :*) ergo.

Ob. 2. Illæ proprietates non tam late patent ac *ens*: ergo. a. p. Datur *malum*, cui nequit competere bonitas (: *moralis c. transcendentalis n. :*) ergo. Imo: *ens* de *possibilibus* dicitur (: *actualiter n. possibiliter c. :*) quæ tamen nullam habent bonitatem; ergo.

Ob. 3. *Ens* & ejus proprietates existunt à parte rei actu (: *actuali n. virtuali c. :*) ergo *realiter* distinguuntur.

Obijcies 4. cont. 2. concl. *Ens* & *unitas* separantur: ergo non sunt idem. a. p. Quando ex divisione *continui* fiunt *plura*, manet *ens*, & tamen perit *unitas* (: *integralis c. transcendentalis n. :*) ergo.

Ob. 5. Per *negationem* *ens* non est *plura*: ergo est *unum* (: *negative c. positive n. :*) Præcipue: quia *unum* definitur, *indivisum* in se (: *quoad modum explicandi c. quoad entitatem n. Sic æternitas est quid positivum, etsi definiatur per terminum negativum :*)

M

Ob. 6.

541 Ob. 6. cont. 3. & 4. concl. Veritas & bonitas non sunt quid *relativum* (relatione *prædicamentali* c. *transcendentali* n.): ergo non dicunt illam *conformitatem*.

542 Ob. 7. Implicante omni intellectu & voluntate, lapis adhuc esset verus & bonus (*actualiter* n. *fundamentaliter* t.): ergo non involvit dictam *conformitatem*. *Vid. Log. n. 487.*

ARTICULUS III.

Unde desumatur unitas individualis seu numerica substantia?

543 **P**renot. Hic inquiri principium *primum* & *radicale* individuationis tam in *substantiis*, quam *accidentibus*. Hinc dum Scotista assignant *hæcitatatem*, & RR. propriam rei *entitatem*, nihil dicunt ad rem, quia illa tantum sunt principia *proxima*.

544 **CONCLUSIO:** Primum & *radicale* principium individuationis in *substantiis* est materia, *signata* quantitate. *Ita T. omnes ex S. D. in 5. metaph. t. 102. &c.*

545 **Prob. 1.** Individuatio (utpote *differentia* *substantialis*) debet provenire ab aliquo principio *substantiali*: atqui non provenit à *forma* (quia *hæc* facit differre *specificè* tantum) ergo à *materia*; non *nude sumpta* (tum quia sic est *pura potentia*: tum quia secundum se est *indifferens* ad omnes formas; consequenter etiam ad alia & alia individua) ergo à *materia signata* quantitate: quia ab *hæc* habet, quod sit *divisa* & *multiplex*.

546 **Prob. 2.** Quantitas ex sua natura habet partes solo *numero* distinctas; adeoque continet *distinctionem numericam*: ergo tanquam *connotatum* extrinsecum potest materiam facere *hanc* & determinare, ut sit *hujus individui* radix, & non alterius.

547 **Objicies 1.** Quilibet Angelus est unus *numero* (: *R. d. tantum* n. *etiam* c. quia specie distinguitur ab altero :) atqui Angelus caret materia; ergo unitas numerica non sumitur à materia. *Vid. tr. de Angel. à n. 26.*

548 **Ob. 2. urg.** *Anima* rationales separatae distinguuntur *puro numero*, & tamen non habent materiam (: ita tamen ut dicant *ordinem* ad illam c. *secus* n.): ergo.

549 **Replicas:** Unitas & *distinctio* numerica debent ab aliquo *intrinseco* desumi (: *imme-*

diatè & *proxime* c. *mediate* & *radicaliter* n. Nam *immediate* desumitur ab *entitate* animæ, dicente *ordinem* ad materiam :) atqui materia animabus separatis non est *intrinseca*; ergo.

Ob. 3. Quælibet res à forma habet esse 550 (: *formale* & *specificum* c. *materiale* & *individuale* n.): ergo & unitatem *individualem* c. p. Unitas *numerica* est *passio entis* (: quomocunque spectati n. prout in se habet *principium* *incommunicabilitatis*, quod est materia, quia hæc est maxime *limitativa*, c. :) seu *entitatis*; ergo habet principium *ipsius esse* seu *entitatis*.

Infas: Omnes gradus metaphysici prove- 551 niunt à *forma* (: tanquam à principio *proximo* c. tanquam à principio *remoto* & *radicali* n.): atqui gradus *individualis* est gradus metaphysicus; ergo. **Præcipue:** quia juxta S. D. *id quod distinguit* (: *distinctione formali* & *specificæ* c. *materiali* & *individuali* n.): est *actus*: ergo.

Ob. 4. *Accidens* non potest esse principi- 552 um *distinctionis substantialis* (: *intrinsecum* c. per modum *connotari* seu *conditionis* necessario requisitæ n.): atqui *quantitas* est *accidens*; ergo non potest esse principium *distinctionis* *numericæ*, quæ est *substantialis*.

Instites: Materia individuatur per *ordinem* 553 sibi *intrinsecum* ad *quantitatem*: ergo etiam forma & *compositum* per hunc *individuari* poterunt. c. p. *Quantitas* est *proprietas* non tantum *materiæ* sed etiam *formæ materialis*, & totius *substantiæ corporeæ* (: ita tamen, ut effectus *formales* *quantitatis*, sc. *extensio* & *divisio*, maxime *exerceatur* in materia c. *secus* n.): ergo.

Ob. 4. Materia (: *entitative* spectata c 554 *sigillata* per *quantitatem* & *connotationem* ad certas *dispositiones*, n.): potest esse modo *hujus*, modo *alterius formæ* & *compositi*: ergo non est principium *individuationis*.

Dices; Materia est principium gradus *gene-* 555 *rici*; quia *ratione materiæ* omnes res corporeæ genere *conveniunt*: ergo non est principium *gradus individualis* (: sub *ea* *ratione*, sub qua est principium gradus *generici* c. sub *alia*, quatenus nempe per *ordinem* ad *quantitatem* est *divisa* ab aliis materiis, n.):

Ob. 5. *Specificatio* sumitur à sola *forma*: 556 ergo & *individuat* à sola *materia* (: n. c. Quia forma, cum sit *actus*, secundum se *sufficenter* determinata est ad *tribuendam speciem*: e contra materia, cum sit *potentia* susceptiva omnium *formarum*, non est determinata ad *certum* com-

577 compositum, nisi per quantitatem:) consequenter non à materia ut signata quantitate. Præfertim: quia quantitas in eodem individuo potest variari (: secundum figurationem & terminationem c. secundum rationem dividendi, & separandi n. :) ergo.

558 Ob. 6. Materiam esse signatam quantitate est posterius forma (: in genere causæ formalis & emanative c. in genere causæ materialis & dispositivæ n. :) ergo forma non potest individuari per materiam signatam quantitate. a. p. Materia est prius determinata ad formam (: in ratione essendi c. quia prius debet habere esse primum quam secundum: in ratione disponendi n. Etenim nisi materia per quantitatem esset disposita, formam nunquam reciperet:) quam ad quantitatem; ergo.

559 Ob. 7. Materia non est divisa (: divisione entitativa, seu subjecti à subjecto n. divisione in partes integrales c. :) nisi per quantitatem actu inhaerentem: ergo non est principium individuationis, nisi quantitas ei actu inhaereat.

560 Ob. 8. Quantitas individuatur à subjecto (: in genere causæ materialis, quatenus nempe est accidens inhaerens substantiæ, c. in genere causæ formalis n. :) ergo subjectum non potest individuari à quantitate (: in genere causæ materialis c. formalis, seu conditionis necessario requisitæ & in obliquo importatæ, n. :)

ARTICULUS III. ET ULTIMUS.

Unde sumatur unitas individualis, seu numerica accidentium?

561 PRænot. Quod in priori articulo quaesitum fuit de substantiis, id ipsum in præfenti quaeri de accidentibus; nimirum quodnam sit horum quoad distinctionem numericam principium primum & radicale? Loco responsionis sit ultima

562 CONCLUSIO: Primum & radicale principium individuationis & distinctionis pure numericæ in accidentibus est proprium illorum subjectum, formaliter spectatum. Est characteristica TT. ex S. D. 1. p. q. 29. a. 1. in c.

563 Prob. 1. Quia proprium illorum subjectum accidentia reddit incommunicabilia, ea limitando ad certum individuum (siquidem omnis forma receptibilis limitetur à suo subjecto receptivo) ergo quoque individuatur.

Prob. 2. Distinctio numerica est materialis: ergo radicaliter peti debet à materia: quæ in accidentibus est proprium illorum subjectum, spectatum formaliter, quatenus nempe connotat hanc actionem introducentis in subjectum, hoc tempus &c. &c.

565 Obijcies 1. Quod accidens sit in hoc numero subjecto, provent à materia signata quantitate: ergo materia est principium individuationis (: ut quo c. ut quod & adæquatum, de quo hic loquimur, n. hoc enim est totum compositum seu subjectum, in quo recipiuntur accidentia:) & non subjectum.

566 Urges: Materia in substantiis est principium individuationis simpliciter; ergo etiam in accidentibus (: n. c. Quia materia non est proprium subjectum accidentium, quemadmodum materia est proprium subjectum substantia:)

567 Ob. 2. Subjectum non est accidentibus intrinsicum: ergo non est illorum individuationis principium (: proximum c. remotum n. :)

568 Repones: Duæ albedines in duabus hostiis consecratis distinguuntur solo numero: atqui non distinguuntur per subjectum (: actu habitum c. per subjectum connotatum n. :) ergo distinctio numerica accidentium non desumitur à subjecto.

569 Ob. 3. Si subjectum esset principium individuationis accidentium, sequeretur accidentia ejusdem speciei, quæ successive introducerentur in aliquod subjectum fore ejusdem numeri seu unum numero: atqui hoc est absurdum; ergo. S. M. p. Foret idem numero subjectum (: materialiter c. formaliter n: quia esset diversa actio & tempus:) ergo & idem numero accidens, si à subjecto individuantur accidentia.

570 Ob. 4. Accidentia respectiva, ut sunt relationes, actus, & habitus, non individuantur à subjecto; ergo subjectum saltem non omnium accidentium est principium individuationis. a. p. Accidentia respectiva non dicunt ordinem ad subjectum (: secundum conceptum specificum c. non dicunt ordinem ad subjectum secundum conceptum individualement n. :) ergo.

571 Ob. 5. inst. Quantitas individuatur à seipsa (: ut à principio quo c. ut à principio quod n. hoc enim est subjectum. Vel aliter: individuatur à seipsa, quatenus est extensiva substantiæ n. quatenus se ipsa habet partes extra partes c. :) ergo etiam reliqua accidentia (: n. c. Hac enim

enim ex sua essentia non habent *partes divisibiles* & ejusdem rationis, uti habet quantitas: a. p. Quantitas continua, hoc ipso quod sit continua, est *una numero*; & quod sit discontinua, est *diversa numero*: atqui esse continuam vel discontinuam habet à seipsa: ergo.

§72 Ob. 6. Idem *numero* accidens potest per absolutam Dei potentiam separari à subjecto, & in *aliud* introduci: ergo non individuatur à *subjecto* (: in quo est per *manutenentiam Divinam* c. non individuatur à subjecto, quod *naturaliter* respicit n. :) c. p. Secus esset duplex *numero* accidens; cum habeat duplex *subjectum*; ergo.

§73 Ob. 7. Ex hac sententia sequitur, omnia accidentia ejusdem speciei, *successive* tamen recepta in eodem subjecto fore *unum numero*: atqui hoc est absurdum, ergo. S. M. p. Omnia ista accidentia haberent *unum* subjectum (: *materialiter* c. unum & *idem formaliter* n. quia non adest eadem *actio* introductiva, & tempus :) ergo essent unum numero.

Ob. ult. premo: Ad individuationem non requiritur *idem* tempus; ergo. a. p. Alias contra n. 257. nec Deus posset reproducere *eandem* numero rem seu accidens: ergo. a. p. Deus non potest reproducere *idem* numero tempus (: quoad entitatem c. quoad *connotationem* n. Deus enim eminenter continet *actionem creatam* alicujus productivam & connotantem tempus *precedens*: neque *tempus*, tantum *connotative* *idem*, continuationem exigit :) ergo neque potest producere *idem* numero accidens, si *idem* tempus ad individuationem requiritur. Hæc in Metaphysicam satis sunt. Quæ hoc loco a Metaphysicis quibusdam fusius tradi solent de existentia Dei & Angelorum &c. &c. jam compendiatæ videri poterunt in Theologiæ nostræ abbreviatæ Parte I. à n. 110. & Part. II. à n. 3. Itaque nunc calamum sepono. Et dum singula, quæ in Philosophiam Universam compendiosissime commentatus sum, infallibili S. Matris Ecclesiæ judicio obsequentissime subijcio, eadem supremo Universi Domino subjectissime consecro, cum SS. Patris & Legislatoris nostri Benedicti voto, vere Theologico, in S. Regula capite §7.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.





INDEX GENERALIS

PRO OMNIBUS TRIBUS PARTIBUS PHI- LOSOPHIÆ ABBREVIATÆ.

*Numerus Romanus I. II. III. indicat Partem: Cifra minor
autem, 1. 2. 3. &c. numerum Marginalem.*

A.

Abstractio à materia. I. 1029.
 Accentus diversitas. I. 232.
 Accidens, Universale. I. à n. 730.
 Accidentium subjectum. III. 139.
 dantur. II. 76. habent propriam existentiam.
 493. individuantur. 562. 744.
 Accidentia Evcharistica. I. 740. 766.
 Actio, passio. I. 864. 911. II. 388. 481.
 Actio in distans. II. 726.
 Actualis prædicatio. I. 667. & seqq.
 Actus voluntatis. II. 456.
 Aër. III. 92.
 Æquipollentia. I. 108.
 Æquivocatio. I. 235. Æquivoca. 741.
 Æstus maris. III. 274.
 Æternitas, ævum. III. 666. III. 13. 17.
 Aqua, Elementum. III. 93.
 Alienatio. I. 53.
 Alteratio. III. 116. 167.
 Amphibologia. I. 234.
 Ampliatio. I. 53.
 Analoga. I. 741.
 Analytica, Topica &c. I. 261.
 Angelus. I. 713. 479. 822. 732. III. 747.
 Anima. III. à n. 277. hujus divisio. 279. suc-
 cessio. 309. divisibilitas. 333. perfectio. 335.
 potentia. 339.
 Anima vegetativa. III. n. 351. & seqq. sensiti-
 va. 372. rationalis. 400. ejus potentia. à
 n. 401. in pluribus locis. II. 609.
 Antiprædicamentum. I. 741.
 Antipathia. III. 252.
 Apellatio. I. 56.
 Aptitudo. I. 631.
 Argumentatio. I. 126.
 Ars inveniendi Medium. I. 242. 1022. quid?
 303. non facit aurum. II. 307.
 Assensus, in conclusionem. I. 1002.
 Astra. III. 74. numerus. 75. Lux. 76.
 R. P. A. Schnell, Phil. P. III.

Atomi, principia. II. n. 65. & seqq. II. 377.
 Augmentatio. III. 363.
 Aurum, per artem. II. 307.

B.

Bona opera. II. 787.
 Bonitas, transcendentalis, in quo consti-
 tat? III. 534.
 Bonum, objectum voluntatis. III. 401.
 Barometrum. II. 619.

C.

Causus. II. 458.
 Causa, physica, quid? II. à n. 317.
 Causa, quotuplex? 318. 322. quæ prior? 324.
 duplex ad eundem effectum. 332. materia-
 lis. 355. formalis. 356. exemplaris. 366.
 efficiens. 379. instrumentalis. 419. finalis.
 430. & seqq.
 Christus. I. 781. III. 301.
 Circulus. I. 1019.
 Circumscriptivus locus. II. 575.
 Cælum. III. à n. 33. materia. 42. forma. 43.
 fluiditas. 46. numerus. 60. influxus. 62.
 Compositum, an principium. II. 53. constat ma-
 teria & forma. 336.
 Concursus simultaneus. II. 737. 761.
 Condensatio. III. 195.
 Continuum. II. à n. 983.
 Conversio. I. 111.
 Copula. I. 2.
 Corpus, species quantitatis. I. 809. naturale.
 II. 44. & seqq.
 Creatio, per creaturam. II. 427. Mundi. III. 11.
 13.
 Creatura perfectissima. II. 531.

D.

Definitio, quid? I. 80.
 Demonstratio. I. 391. 1010.
 Denominationes extrinsecæ. I. 449. & seqq.
 Denominativa. I. 741.

N

Den-

Index generalis. D. E. F. G. H. I. L.

Dentes. III. 324. 330.
 DEUS, qualis terminus. I. 34. 707. non facit
 ens rationis. à n. 479.
 DEUS non ponitur in prædicamento. I. 772.
 supplet causas. II. 151. qualiter inferat vio-
 lentiam? 300.
 Dilema. I. 129.
 Diminutio. I. 55.
 Discursus. I. 126.
 Dispositio. I. 826. 831. Ultima. III. 129. præ-
 via. 162. & seqq.
 Distinctio. I. 503. Modalis. 524. Scotistica.
 527. virtualis. 540. scientiarum. 1030.
 Distractio. I. 55.
 Diversitas accentûs. I. 232.
 Divisio. I. 36.
 Duratio. II. 672. 666. Mundi. III. 31.

E.

Eclipse. III. 77.
 Eductio, formarum. II. 185. & seqq.
 Effectus, à causa duplici. II. 333.
 Elementum. III. à n. 79. numerus. 82. mo-
 tus. 87. gravitas. 89. in mixto. 216. con-
 versio. 233.
 Emanatio proprietatum. II. 412.
 Ens rationis. I. 309. 313. 341. datur. 424. ejus
 causa. 465. & seqq.
 Ens, objectum Metaph. III. 442. Differentiæ,
 inferiora. 443. præscindit. 444.
 Enthimema. I. 129.
 Enuntiatio. I. 93.
 Essentia & existentia. III. 459. & seqq.
 Essentiæ rerum ab æterno, quid? III. 501.
 Eucharistiæ præsentia. II. 599.
 Evidentia, ad scientiam. I. 1054.
 Exemplum. I. 129.
 Existentia, materiæ. II. 125. Compositi. III. 462.
 Accidentium. 493.

F.

Fallaciæ, syllogisticæ. I. 222. compositionis
 & divisionis. 234. accidentis. 240. Dicti.
 241. Elenchi &c. ibi.
 Falstas. I. 932. 941.
 Fames. III. 369. Fatum. II. 459.
 Figura, Syllogistica. I. 161. & seqq.
 Finis Logicæ. I. à n. 379.
 Finalis causa. II. 430.
 Forma, substantialis. II. 173. Cælorum. 189.
 duæ in una materia. II. 202.
 Forma, figura. I. 826. 830. II. 56.
 Forma corporeitatis. II. 293. partiales. 294.
 Cadaverica. 301. 308.
 Formalitates Scotisticæ. I. 527. 546.
 Formale peccati. II. 791.
 Fortuna. II. 458.

Fundamenta Relationis. I. 856.
 Futurum contingens. I. 966. & seqq.

G.

Galaxia. III. 271.
 Generatio, substantialis. III. 97. 113. ter-
 minus. 134. subjectum. 138. 166. distin-
 ctio à corruptione. 117. Vermium in Ev-
 charistiâ. II. 198.
 Genus. I. 681. 690. & seqq.
 Gradus metaphysici. I. 611. qualitatum. III.
 179. 551.
 Gravia, levia. II. 723.
 Gustus. III. 376.

H.

Habitus, intellectualis. I. 336. 1055. spe-
 cies qualitatis. 826. 829. 854. prædi-
 camentum. 912. distinctio à dispositione. 831.
 scientiæ & opinionis. 1081.
 Hiatus, meteorum. III. 271.
 Hircocervi distinctio. I. 515.

I.

Idea. I. 497. II. 173. 366. III. 506.
 Ignis. III. 91.
 Impenetrabilitas. II. 585.
 Impotentia, species qualitatis. I. 826.
 Inceptio & desitio rerum. II. 677.
 Indifferentia. II. 868.
 Individuatio, unde? III. 561. 543.
 Individuum, quid? I. 716.
 Indivisibilia, seu instantia, physica. II. 647.
 684. 698. terminantia, copulantia. 711.
 Inductio. I. 129.
 Infinitum. II. 524. & seqq. quoad essentiam.
 525. magnitudinem, multitudinem &c. à
 n. 538.
 Intellectus. I. 289. 294. facit solus ens ratio-
 nis. 466. quid? III. 401. quotuplex? 402.
 & seqq.
 Intelligentiæ. III. 51.
 Intensio, qualitatis. III. 175.
 Intentiones objectivæ. I. 309.
 Judicium, assertivum. I. 530.

L.

Lapides. III. 275.
 Libertas. II. 768.
 Linea. I. 809. infinita. II. 546. & seqq. 559.
 Locus, quid? II. 566. quotuplex 567. immo-
 bilitas. 569. circumscriptivus. 593. prædi-
 camentum. I. 912.

Logi-

Index generalis. M. N. O. P. Q. R.

Logica. I. n. 1. & seqq. 248. 834. ejus existētia 249. divisio. 260. Docens & utens. 272. Objectum. 286. est scientia. 337. speculativa. 362. finis. 380. necessitas. 387. concursus 411.

M.

Magia. II. 316.
Materia prima. II. à n. 91. non habet ul- lum actum. 102. 117. 125. non potest existere absque omni forma. 146. appetit omnes. 158.
Memoria. III. 377. 401. 411.
Mensura & mensurabile. I. 858.
Mentis operationes. I. 1. & seqq.
Meritum. II. 805.
Metaphysica. III. à n. 440.
Meteora. III. 267. & seqq.
Minimum physicum. II. 650. 698.
Mixtio, mixtum. III. 216.
Modus sciendi. I. 80. 161. 310. objectivus. 330. habendi. I. 919.
Monstrum. II. 460.
Motus. I. 808. 918. II. 461. & seqq. in vacuo. 622. distinctio à termino. 470. ab actione. 481. subjectum. 490. diversitas. 511. conditiones. 718. projectorum. 734. resilientia. 735.
Mundus. III. 1. & seqq. an ab æterno? III. 13. & seqq.

N.

Natura, quid? II. 288. & seqq.
Necessitas. I. 387. II. 769. Logica. I. 390. contrarietatis, contradictionis. 1001.
Nomen, quid? I. 58.
Numerus. I. 808. & seqq. est species quanti- tatis. 812.
Numerica distinctio, unde? III. 543. & seqq.
Nutritio. III. 361.

O.

Objectum, Logica. I. 236. & seqq. Physi- ca. II. 2. & seqq. Metaphysica. III. 441.
Operationes mentis. I. 1. 290. 297.
Opinio & scientia, non stant simul. I. 1065. & seqq.
Oppositio, quid? I. 101. est postprædicamen- tum. 914.
Oratio, quid? I. 74. 808.
Organizatio. III. 306.

P.

Passio. I. 826. 837.
Philosophia I. 1. & seqq.
Peccata. I. 972. II. 789.
Penetratio. II. 583. & seqq.
Phœnomena. III. 45. 49.
Physica. II. 2. & seqq.
Platonicum Universale. I. 584.
Possibilitas rerum. III. 514. & seqq.
Postprædicamenta. I. 914.
Potentia obedientialis. II. 428. animæ. III. 338. & seqq.
Præcisiones objectivæ. I. à n. 553.
Prædicamentum. I. 741. numerus, distinctio. 748. prædicamentum substantiæ. 757. quan- titatis. 786. qualitatis. 825.
Prædicatio, in quid. I. 687.
Prædicatum. I. 2.
Præmotio physica. II. 750. & seqq. est quali- tas. 767. non tollit libertatem. 770. nec est causa peccati. 780.
Principia, physica. II. 34. & seqq. Syllogismi. I. 143.
Prioritas causarum. II. 324.
Privatio, principium. II. 215. & seqq.
Prolegomena. I. 248.
Proprietates terminorum. I. 43. 53. proposi- tionis. 100. argumentationis. 135. entis. III. 528.
Proprium, Universale. I. 724.
Propositio. I. 93. categorica. 97. proprietates. 100. essentia. 930. an vera in falsam? 946. reflexa. 962.

Q.

Qualitas, prædicamentum. I. 825. infinita. II. 544. intensio III. 176. numerus. 233.
Qualitates Logica. I. 336. Cœlorum. III. 61.
Quando, prædicamentum. I. 912.
Quantitas, est ens scibile I. 351. est accidens absolutum. II. 76. prædicamentum. I. 786. divisio. 88. Evcharistica. II. 84. 599. quan- titatis signatio. III. 544.
Quies. II. 522. & seqq.

R.

Radicale principium individuationis. III. 562.
Radicatio major. III. 181. 190.
Rarefactio. III. 125.
Ratiocinatio. I. 126.
Ratio fundandi. I. 858.
Reactio. III. 232.
Rebau. I. 27.

Index generalis. S. T. U.

Rectitudo logica. I. 305.
Reductio Syllogismi. I. 221.
Regulæ suppositionis. I. 46. Syllogismi. I.
282.
Relatio rationis. I. 460. 656. 841.
Relatio prædicamentum. I. 839. distinctio. 869.
unitas 900. proprietates. 910. fundamenta.
857.
Relationes Divinæ. I. 898.
Replicatio. II. 593. & seqq. III. 211.
Reproductio. III. 256. & seqq.
Res omnes. I. 292.
Restrictio. I. 53.
Resolutio usque ad materiam primam. III.
515. & seqq.

S.

Sanguis, non vivit. III. 320. & seqq.
Secundæ intentiones objectivæ. I. 459.
Sensus. I. 466. III. 374. 397.
Signa, logica. I. 109. 361. 920.
Scientia. I. 337. 388. 1023. unitas, distinctio.
1028. est qualitas. 1040. Subalternans &
subalternata. 1047. scientia & opinio. 1065.
Simultas. I. 917.
Simile, non agit in simile. III. 228.
Somnus, somnium. III. 379.
Sophistica. I. 261. 358.
Spatium imaginarium. II. 613.
Species, quid? &c. I. 705. intentionales. III.
381. expressa. 417.
Subiectum. I. 2. accidentium. III. 139.
Subordinatio potentiarum. III. 433.
Subsistentia. III. 467. 488. Divina. II. 606.
Substantia, prædicamentum. I. 757. sine quan-
titate. 791. non est immediate operativa.
391. individuatio. III. 543.
Status I. 53. 630.
Summulæ. I. 1.
Superficies. I. 809. II. 570.
Suppositio I. 43. & seqq.
Syllogismus. I. 129. 143. expositivus. 152.
essentia. 988. demonstrativus. 1010.

Sympathia. III. 252.
Sympatheticus pulvis. II. 731.
Systema Mundi. III. 95.


T.


Temperamentum, quid, quotuplex? III.
246.
Tempus. I. 808. II. 634. & seqq.
Terminus logicus. I. 1. 4. 8. 9. 26. & seqq. ejus
proprietates. Transcendens. 27.
Terminus relationis. I. 855. magnitudinis &
parvitatatis. II. 561.
Terra III. 94.
Topica. I. 261. 358.
Totum, non distinguitur à partibus. II. 265.
& seqq.
Transcendentalis relatio. I. 843.

U.

Vacuum. II. 612. & seqq.
Ubi, prædicamentum I. 912. Modale. II.
577.
Ubicatio. II. 597. 672.
Vera propositio, an in falsam? I. 946. & seqq.
Veibum, quid? 69.
Veritas. I. 930. transcendentalis. III. 533.
Violentum, quid? II. 299.
Vita, quid? III. 291.
Unitas transcendentalis. I. 408. III. 532. tri-
plex I. 611. 631. Ordinis 812. convenien-
tiæ. 858.
Universale. I. 579. & seqq. Platonicum. 584.
Nominalium. 581. Recentiorum. 593. Sco-
tisticum. 613. Thomisticum 630. Factio.
653. in actuali prædicatione. 668. nume-
rus. 681.
Voces, non significativæ. I. 18. non sunt ob-
jectum Logicæ. 288. 293. 303. nec sunt U-
niversale. 925. & seqq.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR
DEUS.





40541

Z BIBLIOTEKI
SEMENARII H
SANDWICHSKIE

UT IN OMBIB. SLOV. PCEYU
DEB.

